

P. CHRYSOSTOMI HANTHALER
MONACHI CISTERCIENSIS IN CAMPO LILIO-
RUM AUSTRIÆ INFERIORIS

EXERCITATIONES
FACILES

D E

NUMIS
VETERUM

PRO TYRONIBUS,

IN QUIBUS

LACONICA QUIRITUM SAPIENTIA,
ET REINUMARIÆ VETERIS RUDIMENTA, FA-
CILI METHODO PER EXEMPLA PANDUNTUR, OPE
NUMORUM COMPLURIUM PICTORUM, ET PER DIALO-
GOS FAMILIARITER EXPOSITORUM.

P A R S V.

De Votivis Populi Studiis in Augustos.

P A R S VI. & ultima.

De Consecrationis Augustæ impio delirio.

Sequitur

APPENDIX. De nonnullis Coloniæ, & Urbium Græ-
carum Numis.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis & Sumptibus Joan. Thomæ Trattner, Univ. Typographi. 1753.

REPRODUCTION OF THE
ORIGINAL DOCUMENT

EXHIBIT A
PART 1

NUM 12

VEE RUM



NO 100
ATTACHED ORIGINAL

P. R. 2

NO 12

REPRODUCTION OF THE ORIGINAL DOCUMENT



ARGUMENTA DIALOGORUM

PARTIS V.

DIALOGUS I. PROOEMIALIS. Quid per votiva populi studia intelligatur, quotque capitibus eadem hic expendantur.

II. Elogia, quæ Caput I. conficiunt, Cleopatrar, Juliar, & Augusti.

III. De aliis Elogiariis Augusti, item Neronis Numis.

IV. Juliar Severi, Postumi, & Aureliani Elogia.

V. Probi, Severi, Constantini M. & Gratiani Præconia singularia.

VI. Monumenta publica, constituentia Caput II. in honorem Augusti, & Hadriani oblata.

VII. Paris devotionis Numi erga alios Imperatores.

VIII. Votorum, quæ Capite III. proponuntur, apud Romanos frequentia, & modus.


IX. Numi vota salutis pro Principe redhibentes.

X. Numi Votis Imperii consignati.

XI. Novi Anni, & Sæculi Gratulationes, quæ Capitis IV. sunt
argumentum.

XII. Residua Gratulationum in Numis Exempla.





DIALOGUSI. PROÆMIALIS.

Quid per Votiva Populi Studia intelligatur,
quotque Capitibus eadem hic expendantur.

TULLIUS docens, PUBLIUS discens.

PUBLIUS.



Rosecuturi Exercitationes nostras, Parti IV. I.
de Religione, tam in hac parte V. de *Voti-*
vis Populi Studiis in Augustos, quam in VI. de
Consecratione Augustorum, geminam quasi Ap-
pendicem facturi videmur. Quis enim ne-
sciat, *Votum*, sive *Promissionem DEO* quo-
modolibet factam, in actibus Religionis tan-
tum non principem esse, quo alius nullus
hominem fortius adstringit? *Consecratio* porro ex instituto suo Deo-
rum Senatui novas identidem suppetias, impiissimo quidem cum
delirio, succenturiavit. TULL. *Votum* & multiplicis, & admo-
dum diversæ notionis est vox. Quid enim familiaris, quam, ut
minime religionem cogitantes, attamen sexcenties dicamus: *Res*
e voto successit: hic supra votum est felix: voti undique compos es. PUBL.

Ergo iterum labor, quamvis tot jam erroribus meis edoctus fuerim, neminem bene legere, qui vocum notionem primam, quæ sibi occurrit, mox arripit, varium earum sensum, ac usum attendere, aut negligens, aut ignorans. TULL. Sape igitur tandem rubore tuo. Multam enim scribentium industriam lectio inconsiderata inutilem reddit.

II.

PUBL. Quid ergo per *Votiva Populi Studia* intelligam? TULL. Affectum in Principes peculiarem, nonnullis eorum, extra solitum, varia occasione, & ratione, aut Præconiis, aut Monumentis publicis impensum, deinde & Numis consignatum. Quam ipsam tamen descriptionem tu cautus accipe. Populi enim nomine plerumque Romæ agebat Senatus, alibi Magistratus alius, illam in Colonis, & Provinciis representans. Affectus quoque haud semper amor erat, vel gratitudo, sed sæpissime adulatio, aut metus. Voti religio frequenter intervenerat, Diis pro principe interpellatis: æque frequenter tamen etiam aberat. Nam & laudatio mera, & Gratulatio, & Gratiarum actio, inter hæc Studia Populi comprehenduntur. Modo tamen omnia suo *Votiva* dici promerentur, si *votum* grammatice acceperis pro eo, quod ex animi tui sententia, sive tibi, sive alteri, evenire peroptas, aut evenisse congaudes. PUBL. Etiam si theologice *Votum* expendero, ibo in sententiam tuam. Erat enim e Sapiensibus priscis, qui dixerat: *Principis imaginem, velut Dei, statuendam puta.* Neque hoc admodum invita religione nostra, quæ omnem potestatem a Deo esse docet, & in Rege Dei Ministrum, & Vicarium intuetur: quapropter Dominis etiam discolis auscultare præcepit. Porro, qui Deum Voti religione obsecrat, id sine laude ejusdem non perficit: voti compos, grates refert, gaudetque cum gratulatione. Id, quod recte ad Principem, Populique in eum officia traduxero.

III.
Libr. I.
cap. I.
n. I.

TULL. Haud falleris multum. Quippe, *Valerio Maximo* teste, „ Prisco instituto rebus Divinis opera datur, cum aliquid „ commendandum est, *precazione*: cum exposcendum, *Voto*: cum „ solvendum, *gratulatione*: cum inquirendum extis, vel sortibus, „ *impertito*: cum solenni ritu peragendum, *Sacrificio*. „ *Preca-*
tione intelligebatur & *Salutatio*, juxta illud *Martialis*:

Mul-

Multis dum *precibus* Jovem *salutat*,
Stans summos resupinus usque in unguës.

Libr. XII.
78. I.

Dicebatur vero *Salutatio* a *Salute*: & ideo, notante *Herodoto*, Libr. I. c. 16. 7. Romani non solum domi matutino tempore *salutabantur* quotidie a clientibus, verum etiam in Templis, acto Sacrificio, se invicem exceperunt, & *salutarunt*, mutux gratulationis causa de *Salute*. Unde vides, officia, in alterutrum bene favendo impensa, semper *Voti* aliquid, ac religionis continuisse, cum salus omnis, nisi ex Deo, esse non posse crederetur. Sed quid in vocibus exponendis tamdiu hæremus?

PUBL. Me hercle sapienter. Capita potius, in quæ argumentum Partis hujus V. pro more denuo tribues, audire abs te cupio. TULL. Ingens quidem est copia Numorum, *Votiva* Populi *Studia* in Augustos exhibentium, trahique huc possent plurimi Numi, quos Parte II. inspeximus jam, & expendimus: quibus *Monarchici Imperii* *Symbola*, typique *Felicitatis*, & *Securitatis*, *Virtutum diversarum*, ac *Liberalitatis*, & *Beneficentiæ*, *Operumque publicorum*, & *Vestigialium remissorum* exhibentur. Hæc enim omnia laudis, *Gratulationis*, & *gratæ recognitionis* officio in publicum edebantur. Non autem convenit, argumenta Partium confundere, crambemque antiquam recoquere. Strictius hic agere libet, & intra sola peculiaris affectus testimonia consistere, & maxime illa, quæ voto comprehendebantur.

IV.

Dum vero & horum quoque imagines Numis plurimis in- sunt, extra capita tamen Principum, adeo parum a se invicem differunt, ut operæ pretium non duxerim, plures eorum, quam septem & quinquaginta, tribus in Tabellis depingere. Quæ quidem *Exempla* sufficient ad hujus Partis integram thema, quatuor Capitibus absolvendum. Horum I. exhibebit *Elogia peculiaria*, Principibus nonnullis impensa. II. Ostendet *Obsequia*, publicis monumentis eisdem delata. III. *Vota Salutis*, & *Imperii*, suscipi, solvique consueta, proponet. IV. tandem *Gratulationes* nonnullas, eisdem ære publico factas, ob oculos ponet.

V.

PUBL. Numi tanti sat amplam nobis differendi copiam fa- cient, maxime, dum pro solita tua in me benevolentia, præter eos, quos in imagine reddidisti, complures adhuc alios erudite mihi commemorabis. TULL. Studebo & hic, qua per angustias

VI.

tem-

temporis possum, commodis tuis. Nam & Pars ultima, quam pariter expediemus, de Consecratione Augustorum, item Appendix de Coloniis, & Urbibus, negotii quidquam nobis facefient. PUBL. Quamcunque in his omnibus infumferis moram, longe mihi jucundissima erit, multumque proficua: tibi porro liberata integra promissi fides, apud Tyrones, quibus tam commode faves, ac consulis, tuo cœmento, propriaque regula, monumentum struet æternitatis.

DIALOGUS II.

Elogia Cleopatrarum, Juliae, & Augusti.

TULLIUS.

I.

Non adeo hoc argumentum constringo, ut solos Augustorum Numos prodire hic velim. *Cleopatra* Regina, quæ chorum ducit in Tabula Ima, apud Romanos Augusta non fuit. Princeps tamen erat, cui *Populus*, non tam ex merito, quam ob *M. Antonii* Triumviri, eam tenerius, quam purius, deperientis metum, & adulationem, auro, argentoque votivo studebat. PUBL. Cerno hic caput fœmineum, religatis crinibus, cum fastigiolo, sub cujus velato pectore prora Navis rostratae, sive cuspidibus ferreis præfixæ. Circum lego: REGINÆ REGUM FILIORUM REGUM CLEOPATRÆ. Peculiare hoc sane, superbumque elogium. TULL. Pinxerunt hunc Numum *Golzius* Tab. LIII. n. 2. *Patinus* Famil. p. 22. n. 6. *Argelatus* p. 9. & alii. Adversa ejusdem Caput *M. Antonii* refert, addita tiara Armeniaca, & epigraphæ: ANTONI. us. ARMENIA DEVICTA.

TAB. I.
N. I.

II.

PUBL. Recordor illius Numi, quem in *Exercit. Proœm.* Tab. III. n. 6. mihi pinxeras: cujus Antica pariter *Antonium*, hedera coronatum tanquam Liberum Patrem, exhibet: Possica vero supra cistam *Bacchi* parvulum *Cleopatrae* caput, inter geminos tor-

tuo-

tuosos Asiæ serpentes. TULL. Plurimis Numis *M. Antonius*, adulteris hujus Amasiæ suæ amoribus usque in perniciem suam irretitus, hanc fœminam, *Ptolemei Auletis*, ut volunt, Aegypti Regis filiam, & Regni cum fratribus *Ptolemais* hæredem, honorari fecit: qui tum græce, tum latine inscripti, apud *Golzium*, & *Patinum* in Gente *Antonia* exstant. In his amborum capita, nunc jugata, nunc opposita sibi, nunc singula in utraque Numi facie comparent.

PUBL. Docuisti me jam olim ad Numum supra relatum, cum Asia jam tunc Romanis parere debuerit, *Antonium* Triumvirum sic egisse cum Imperii Provinciis, ac si Dominus earum fuisset, & in *Cleopatram*, ac Filios ejus, quorum Pater tum *Jul. Caesar*, tum ipse fuit, Phœniciam, Cœlesyriam, Cyprum, ac magnas Ciliciæ, Judææ, & Arabiæ, itemque Armeniæ partes, Regio cum axiometate contulisse. TULL. Ergo Elogium Numi præsentis & verum simul, simulque fastuosum fuit. Testibus quippe *Plutarcho*, item *Dione* Libr. XLVIII. latina conversione, „ *Antonius* „ Alexandrinis epulum præbuit, ac in Concilio Populi, *Cleopatra*, „ *tra*, ejusque Liberis, propter se Sedem dedit, habitaque ad „ populum quadam oratione, *Cleopatram* *Reginam* *Regum*, & *Pto-* „ *lemeum*, quem *Cæsari* *ionem* cognominabant, *Regem* *Regum* appella- „ lari iussit. „ Verumtamen præconium istud in hoc unico, de quo agimus, Numo legi, non item in aliis. Hic porro vel ideo votivis tanto rectius accensendus erat, quia elogium dativo casu efferens, inscriptionem potius, ac dedicationem, quam epigraphen simplicem continet. Prora navis apposita Classem denotat, quam opulentissima hæc Regina pro *Antonio* contra *Octav. Cæsarem* instruxit, ipsa eundem comitata. Dum vero apud *Actium* victoria in *Cæsarem* inclinaret, prima cum pluribus navibus effugiens, cladi plenæ viam aperuit.

III.

PUBL. Numum alterum græcum ejusdem, ut autumo, *Reginæ*, ego recensere non aggredior. TULL. Adversa ejus *M. Antonii* Caput nudum, senile, ac imberbe iterum sistit, in lævam conversum, ante cujus faciem est lituus auguralis. Epigraphe: *M. ANTONIΩΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΟΙΩΝΙΣΤΗΣ ΤΡΙΩΝΑΝΔΡΩΝ*: i. e. *M. ANTONIUS IMPERATOR AUGUR TRIUMVIR*. In Aversa comparet Caput fœmineum velatum, cum fastigiolo. Circum est: *ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ, ΘΕΑΣ ΝΕΩΤΗΡΑΣ*. h. e. *REGINÆ CLEOPATRÆ DEÆ NOVÆ*. Cl. P. *Jobertus*

IV.

N. II.

p. m. 470. edit. germ. cæteras inter Novas Retractiones advertit, olim in hoc Numo ΟΣΑΝ lectum esse, ob cujus vocis obscuritatem Eruditi ab expositione abstinerint. Tandem vero doctum quempiam Virum, vero simillime *Harduinum*, advertisse malam hujus vocis lectionem, ob literas nonnihil attritas. Ο. enim pro O. & E. pro E. habitum esse: N. ad primam hanc vocem attinere, eamque claudere creditum fuisse, cum sequentem incipere debeat. Unde feliciter legit, ut supra scriptum, ac transpositum fuit, ac docuit, *Cleopatram* hanc posteriorem elogio *Deæ* fuisse honoratam, quale jam dudum antea *Cleopatra* alia tulerit a *Ptolemeo* Philopatore, *Dei* cognomine uso. Atque idcirco dici *Novam Deam*. Apud *Golzium* in Cæs. Tab. LIII. n. 9. diserte scribitur ΟΣΣΑΝ ΣΩΤΗΡΑΣ: quod, ipso interprete, foret: *Omnium*, aut *Universi Servatricis*.

V. PUBL. Superbius multo, turpiusque, huic *Dominæ Numus* iste, quam anterior, est adulatus. TULL. Excusat id nonnihil *Harduinus*, quod Veteres, dum Principibus adhuc viventibus *Dei*, vel *Deæ* nomen præconii loco tribuerent, non propterea divinitatem naturæ eisdem adscripserint, sed similitudinem quamdam, videlicet Majestatis, Bonitatis, Potentiæ, & si quæ alia in Principibus Deorum quodammodo æmula sint. Uti v. c. in sacris Literis Exod. VII. 1. *Dixitque Dominus ad Moysen: ecce constitui te Deum Pharaonis*: participatione nimirum potentiæ meæ, qua conteras Pharaonem. Item Ps. LXXXI. v. 6. *Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi omnes: vos autem sicut homines moriemini &c.* ubi Judicibus injustis, qui Dei potestatem habent, comminatur venturus justus Judex. *Golzianum* quoque elogium *Servatricis omnium*, aut *Universi*, mollius accipies, si attenderis, proclive antiquis fuisse, pro multis dicere omnes, & Orbem pro Imperio supponere.

VI. PUBL. Valeant ista, ut possunt. Cæterum novi, hanc *Reginam*, quantum divitiis affluebat, tantum potentia pariter eminare voluisse. Moliebatur itaque grandia, ut, ejectis Fratribus, rerum sola potiretur. *Cæsari*, atque *Antonio* se prostituit, spe Imperii Romani unacum thoro eorum obtinendi. Posterioris fortunam ut sustentaret, Filios ut in culmen tolleret, egit omnia. Factus tanti, tantæque profusionis fuisse scribitur, ut margaritam, quæ regnum valeret, aceto resolutam in cœna sorbens, jactaret, se nec Regno satiari. Sed quæ florente fortuna perpetuum adu-

lationibus locum fecit, vincente *Octavio*, nec Regnum, nec *Antonium* suum servare potuit, immo neque seipsam. Conclamatis namque rebus, ille sibi pugionem in viscera adegit: ipsa, ne Romæ catenis onerata Triumphī spectaculum esse cogeretur, satius habuit, venenato aspidi mordendum pectus ultro præbere.

TULL. Numum III. e *Plinio Harduiniano* excepi, ubi Tab. VII.
II. n. 3. unacum *Aversa* pingitur, & æreus magnus esse notatur, expositus Tom. I. p. 138. not. 23. Anterior est Caput Augusti TAB. I.
radiatum, cum fulmine ante faciem, & Stella, vel Sole supra N. III.
frontem radiante, ut scribitur, Sculptore id omittente. Epigraphe: COL. ONIA ROM. ALENSES PERM. ISSU DIVI AUG. USTI, subaudi, hunc numum signavit. In *Aversa* vides Caput nudum fœmineum, cum Lunula in capite, & Orbe sub Collo. Circum-
JULIA AUGUSTA GENETRIX ORBIS. *Argelatus* p. 9. hanc
imaginem pingens, eidem circumscripsit p. 53. *Julia Augusta*
Aug. F. Genetrix Orbis: & numum hunc *Livia* tribuit, Conjugi Au-
gusti: quæ, cum ab hoc ceu Filia fuisset adoptata, ab ejus mor-
te nomen *Julie* assumerit. *Grosæus de Bose* in Dissert. de Cultu Ele&. R.
Salut. Deæ in *Adversa*, loco Augusti, Caput aliud fœmineum N. p. 32.
pinxit, cui subscripsit: *Salus Augusta*: cæterum hunc æris mediū
numum pariter *Livia* imputavit.

PUBL. Memini hoc loco, dixisse te mihi Part. I. Dial. XV. VIII.
n. 4. quanta cum contentione Doctiss. *Jobertus* numos omnes,
qui *Julie* nomen ferunt, *Livia* abneget. Hanc enim aliquando
Juliam dictam, & ab *Augusto* adoptatam esse, nemini concedit,
ob summam contumeliam, quæ tam absurdo ex facto in Monar-
cham sapientissimum derivaretur. *Livia* numos, tam græcos,
quam latinos, etiam ab ejus morte cufos, has, ait, disertas epi-
graphes habere: DIVA LIVIA DIVI AUGUSTI: vel ΘΕΑ ΛΙΒΙΑ. TULL.
Vereor ego, ne non minus absurdum fuerit, quod *Augustus* huic
suz *Livia*, quam *Tiberio Claudio Nerone* abstulit, dum actu ex hoc
gravidum uterum ferret, publice nupserit. Item, quod compu-
lerit *Tiberium*, postea Successorem suum, repudiata contra omnem
voluntatem suam *Vipsania*, ad *Juliam* filiam suam ducendam. Quæ
nihilominus ab hoc Sapientissimo Principe acta sunt. Magis ab-
surdum aliis visum est, si *Julia* filia ejus, summe impudens & pro-
stituta fœmina, quam omnes abominabantur, iis numis, qui nomen
Julie ferunt, publice honorata fuisset.

IX. Cl. tamen *Harduinus* Numum præsentem vult esse *Julia* hujus, non *Livia*: quod solus non sentit. In exponenda vero Epigraphe singularis est. *Genetrix*, ait, appellatur, ut ab altera *Julia* secerneretur, quam ipsa genuerat, Uxore *Germanici*, nimirum *Julia Agrippina* Augusta. *Mater* scribi non debuit, ne *Mater Orbis*, videlicet Romani, prædicari crederetur: quo sensu *Livia* dicta fuerat *Mater Patriæ*. *Vox Orbis*, inquit, hic una non est, sed singulis literis plures designat. Nam quid sibi vult *Genetrix Orbis*? Quæ *Fœmina*, quæve *Dea*, *Orbem* genuisse dici possit ullo bono sensu? Divisis ergo literis legendum: JULIA AUGUSTA GENETRIX O. bstrinxit R. onulenses B. enesicio I. mpetrato S: ingulari: scilicet jure *Monetæ* cudendæ, *Hispali* Urbi, cujus erat hic numus, & quæ *Colonia Julia Romulea* olim, hodie *Sevilia* appellatur, exorato. Ita ille.

X. PUBL. Quando sic hariolari licet, videri possit & mihi, sive *Livia*, sive *Julia* hic laudetur, Caput attamen ipsius non comparere, sed lunam referre, ob lunulam impositam. Quæ cum influxu suo omnibus det fecunditatem, *Genetrix Orbis* non plane inconcinne prædicari potuerit. TULL. Tam Augusti, quam Augustæ, sub Solis quidem, Lunæque imaginibus haud semel efferebantur, quod & paulo post videbimus. Attamen hæc tua cogitatio in rei Summam nihil hic confert. Perge sis ad Numum IVtum.

XI. PUBL. Adversa Victoriæ exhibet alatum, quæ supra orbem consistens, dextra elata laureum Sertum ostendit, læva demissa palmæ ramum deportat. Epigraphe ad lævam inchoans est: SALUS GENERIS HUMANI. Aversa querneam intra coronam nil habet, nisi literas: S. enat. P. op. Q. ue R. omanus. TULL. Dubiæ interpretationis hic Numus, apud *Patinum* Famil. p. 306. semel, ac iterum pictus est, Victoriæ nunc in dextram, nunc in lævam conversa. Incertam de eo facit opinionem, quod ejus epigraphe, sub diversis Augustis, circum varias imagines legatur. Et primum quidem adhibita creditur sub Triumviratu. Nam apud *Golzium* est *M. Lepidi* numus, ubi circum dextras duas commissas, caduceum tenentes, eadem adscribitur. *Argelatus* tres numos commemorat, omnes cum capite, ac titulis *Cæsaris*, adhuc Triumviri: quorum primus tres figuras tripodi assistentes, alter easdem sacrificantes, cum quarta humi procumbente, atque

caduceum, & cornucopiæ tenente, sistit: tertius tres dextras conjunctas, cum caduceo, fascibus, & securi, ac orbe redhibet, semper addito lemmate: *Salus Generis humani*. Hos porro recenset p. 23. Superaddit vero p. 29. quartum, quintumque, cum Capite, & Nomine *Augusti*. Prior Victoriæ super orbem habet, ut hic eam vides: posterior Victoriæ refert, quæ clypeum columnæ appensum coronat. Lemma ut ante est.

Rursum vero id legas apud eundem p. 99. duobus in *Galbe* XII. Numis, circum fœminam, quæ temonem sustinens, orbemque calcans, ut Fortuna, cum patera ad aram accensam libat. Tandem p. 147. etiam in consimili *Traiani* Numo. Videtur proinde hæc epigraphæ non referre personæ elogium, sed rem potius exhibitam spectare, videlicet Concordiam, Victoriæ, Fortunam, quæ *Generi humano*, Imperio scilicet Romano, *Salutem* attulerint. Suo namque pro Imperio Quirites Orbem supposuisse, jam supra te monui, *Ovidio* eapropter canere auso:

Juppiter arce sua totum cum spectet in Orbem,
Nil nisi *Romanum*, quod tueatur, habet.

Fastor. l.
v. 78.

Quo tamen pacto nihilominus honor ad eos rediit, qui hæc procurarunt. PUBL. Tam apposite profecto, ut melius non potuisset, concepta fuisset hæc Epigraphæ, maxime sub *Augusto*, si Romanis lumen illuxisset, ut *salutem Generis humani*, tunc natam cum Christo, prædicassent.



DIALOGUS III.

De aliis Elogiariis Augusti, itemque Neronis Numis.

TULLIUS.

I. **S**Tudia Populorum erga Principes, quocunque affectu agerentur, nullum Laudationis locum omiserunt, nec illum proinde, qui a simili ducitur, negligentes. Cujusmodi tria tibi Exempla ex *Harduino*, non quidem a me picta, saltem commemorabo. Priora duo *Augustum* spectant, postremum *Neroni* ablanditur. Exstat nimirum Tab. VI. *Pliniana* n. 8. Numus æris medii, in cujus adversa Caput *Augusti* nudum comparet, cum titulo græco: ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ: *Cæsar Augustus*. In aversa est caput senile barbatum, adjecto nomine: ΠΛΑΤΩΝ: i. e. *Plato*. Incertæ hic Urbis Numus, *Augustum*, e Viri Cl. sententia, non vulgari elogio, *Platoni*, quem *Divinum* appellarunt, sapientiæ laude æmulum facit. Alter æris parvi Numus Tab. X. n. 8. denuo Caput nudum *Augusti* sistit, cum lauri ramo, in ferti dimidii formam flexo ante vultum, addita voce: CÆSAR. Postica pars iterum ornatur Capite senili barbato, ac insuper laureato, infra cum sola litera græca Δ, indice Nominis, quod in alio consimili Numo æreo medio, ubi vero Caput laurea caret, integre scribitur: ΛΥΚΟΥΡΓΟΣ: h. e. *Lycurgus*. Huic porro, qui *Lacedæmone* sapientissimas Leges tulit, *Augustus*, tanquam optimus in Italia Legum Conditor, pari affectu, æque, ut antea *Platoni*, suppar laudatus est.

II. Numus tertius ibidem aversa solummodo sui parte pictus est Tab. II. n. 5. diciturque æris medii esse, inque Aversâ Caput *Neronis* referre. Consideret in eo Semidea velata, cum patera, & hasta, græcaque circum epigraphæ: ΠΡΟΝΟΙΑ ΝΕΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ: h. e. *Providentia Novi Augusti*. Cujus Urbis perrarus, ut insit *Harduinus*, hic Numus existat, obticuit. Vox *Novi* eundem in

peregrinam, novamque sententiam abduxit. Cum namque in alio *Augusti* Numo, in quo alii Templum viderant, ipse Armarium Tarragone structum agnoverit, vocemque subscriptam: *Providentia*: interpretatus fuerit, quod *Augustus* hanc Urbem provido consilio Armamentarium Imperii esse voluerit: nunc eadem ambulans chorda, *Neronem* alia in Urbe idem præstitisse asseverat. Qua proinde de causa Princeps, Abavo suo simillimus *Providentia*, *Novus* denique, & alter *Augustus* in hoc Numo sit prædicatus. Quæ autem utriusque Numi expositio non alia ratione, quam *Hartdumiano* ingenio, novitatis cupidissimo, nititur.

PUBL. Ambos hos Numos jam Parte anteriore, cum de Aris, Templisque differeres, mihi commemorasti. Ego porro hic vocem *Numus* non comparative sumissem: sed Gratulationem Imperii nuper initi arbitratus fuissim. Sin porro Numi hactenus allati eo, quo exposuisti, sint sensu concepti, belle profecto quadrant præsens nostrum in argumentum. Non minus vero sequens, hujus Tabulæ Utus, quem ego in typo gypseo teneo. Adversa, quam omisisti, circum Caput juvene nudum sic habet: NERO CLAV. CÆS. IMP. LVRINO (nisi L. *ucio* VRINO) VOLVMNIO II. VIR. *is*. In Aversa contrapostita sibi sunt Capita juvenis Viri, supra quem Sol micat, & Fœminæ, cui Luna superposita: quæ se mutuo respiciunt. Epigraphæ, infra ad lævam inchoans, est: NERO CLAV. CÆS. IMP. OCTAVIA AVG. *usli* F. *ilia*.

III.

TAB. I.
N. V.

TULL. Ita hunc Numum pariter laudat *Argelatus* p. 89. & inde colligit, eundem vivente adhuc *Claudio*, & *Nerone* necdum imperante, cūsum esse, cum hic non scribatur *Augustus*, neque *Claudius* appelletur *Divus*. Sol, & Luna, in capitibus utrorumque, eosdem his omnium Siderum Principibus, elogiario stilo per picturam loquente, comparatos fuisse denunciant. Verumtamen *Patinus* Impp. p. 88. in Adversa consimilis, ac recusi Numi, post collum Capitis nudi parazonium transverso situ apinxit, & epigraphen sic posuit: *Nero Clav. Cæs. Aug. Imp. Urino Volumnio*. In Aversa *Nero* denuo scribitur *Aug* & *Octavia* pariter *Augusta*. Quam formam *Argelatus* quoque recensuit.

IV.

Triflani porro sententia, quam adduxit *Patinus*, Epigraphæ Adversæ foret Inscriptio elogiaria, sic legenda: NERO ni CLAV. dio CÆS. ari AVG. *usli* IMP, *eratori* VRINO VOLVMNIO:

V.

nec

nec esset hic locus Duumviris. Compararetur enim *Nero*, Jovi Orat. IV. *Urino*, sive *Imperatori* dicto, quem *Græci* ἑγὼ scripsere, juxta *Ar-*
in Ver- *rianum*, & a *Prænestinis* Romam translatum esse, *Cicero* testatus
rem. est. Item *DEO Volumnio*, sive *Menti*: Sacrificabant namque,
L. IV. de cum primis nupturi, *Deo Volumnio*, *Deæque Volumniæ*, ut bona vellent,
Civ. D. tradente *S. Augustino*.

c. 20.

VI.

Verius autem putem, immo, tuum juxta Numum, plane certum, Duumviros hic, non Deos, latere. Nam & apud *Jobertum* Tab. ult. n. 14. hic idem Numus *Neronis Aug.* depictus est, in quo lego: VOLVMNIO LORINO II. VIR. o vel is. Apud *Argelatum* aliquando est *Urino*, aliquando *Lurino*, hic *Lorino*: quam varietatem inducere potuerunt literæ nonnihil obscuræ, vel attritæ. Arbitrentur vero de his omnibus, qui Numos ipsos, eosque integros, inspexerint: quia pictores, sculptoresque, facile, ac sæpenumero peccant, nisi sub oculo *Scriptorum*, horumque virgula censoria laborent.

VII.

PUBL. Numus VI. Aversa sola pictus, rursusque græcus, TAB. I. an pariter *Neronis* existit? TULL. Omnino, magnus quidem, &
N. VI. *Ægyptius*. *Spanhemio* vulgante, Tom. II. p. 500. Elogium ejusmodi intra sertum laureum refert, Christo *Salvatori* omnium unī, solique debitum, hic porro deterrimo Principi sane impiissime adhibitum. Scribitur enim: ΤΩ ΣΩΤΗΡΙ ΤΗΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ. L. ENAT: infra posita Lunula: i. e. SERVATORI ORBIS. A. mo XI. Etiam *Trajanus*, ut ibi notat *Vir Illustris*, a *Nicopolitanis* ad *Istrum* prædicatus fuit ΣΩΤΗΡ ΤΗΣ ΠΟΛΙΣ, *Servator Urbis*: quod modestius. Rursus autem eidem sacrilege scriptum est a *Pergamenis*: ΘΕΩ ΣΩΤΗΡΙ ΚΑΙ ΤΩ ΘΕΩ ΣΕΒΑΣΤΩ: *Deo Servatori, & Deo Augusto*.

VIII.

Hadriano elogium *Jovis Olympii* per frequenter tributum fuit in Numis, ut in ære *Nicomedensium*, ubi capiti ejus, omisso nomine, circumpositum legitur: ΘΕΟΣ ΟΛΥΜΠΙΟ: *Deus Olympius*. Quod & *Commodo* factum, quoniam *Hercules*, quem pariter *Olympium* dixerant, esse omni cum contentione voluerat. Sed & *Optimi Maximi* præconia, *Jovi* subrepta, *Augustis* pluribus, cum primis *Trajanus*, imputarunt: adeo, ut *Plinius* de eodem jactaret:

Panegyrr.
c. 88.

„ Nec magis definite, distincteque designat, qui *Trajanum*,
„ quam qui *Optimum* appellat. Ille *Parens* hominum, deorum-
„ que, *Optimi* prius, deinde *Maximi* nomine colitur, quo præ-
cla-

„ clarior laus sua, quem non minus constat *Optimum* esse, quam
 „ *Maximum.* „

PUBL. Non ego de *Trajano* hoc admodum miror, pacato IX.
 saltem animi, Victore perpetuo, ac benefico, & Reipublicæ per-
 commodo Principe. Turpius autem *Optimi* elogio peccatum est
 in *Maximino*, paulo post hoste Reipublicæ dicto: qui tamen pa-
 riter *Princeps Optimus* celebratus fuit meo in Numulo, quem *Part.*
 III. Tab. I. n. 6. antehac pinxeras. Verumtamen quam affe-
 ctuum & adulationis moderationem quæras in cœcitate pagano-
 rum? Compatiendum illis potius, quam indignandum, idque
 tanto facilius, quanto minus irato Jove, vel altero Deo, hæc fur-
 ta præconiorum fiebant. His enim, tanquam fictis omnibus,
 Principes dominantes, ut res nihilo, anteibant.

DIALOGUS IV.

Juliae Severi, Postumi, & Aureliani
 Elogia.

TULLIUS.

MAritorum affectus in Uxores, harumque apud illos in- I.
 tercedendi ac impetrandi vis, effecerunt, ut Impera-
 tores quoque non permitterent modo, sed etiam cu-
 perent, immo procurarent subinde, vel plane jube-
 rent, ut Conjuges eorum dicerentur Augustæ, & a Senatu Po-
 puloque, omni Votivorum Studiorum genere, cumprimis vero
 Elogiis omnino singularibus honorarentur, & ad favendum pro-
 licerentur. Specimen cape in gemino Numo *Julia*, Conjugis
Septimii Severi: quam non solum *Augustam*, sed etiam *Domnam*,
 quasi Dominam, item *Piam*, ac *Felicem* dixere, licet scœmina ef-
 fet prostituti pudoris. Porro nemo fere Imperatorum præ *Severo*
 studuit ardentius, anteriorum omnium Cæsarum gloriam ad se,
 Liberosque suos transferre. Idcirco *Antonini* Nomen suam in fa-

miliam adscivit: se *M. Aurelii* filium haberi voluit: Conjugem dixit *Faustinae* filiam, cujus proinde praeconia pariter tulit. Tu ex Numis haec lege.

II. PUBL. Singularia certe sunt illa. In primo etenim Numo sedet foemina in sella reclinata, & alta, qua dextra extensa triplex liliam tenet, lava sustinet hastam, quasi sceptrum liliatum. Pone: S. C. Circum lego: MAT. er (aut Matri) AVG. usi MAT. er SEN. atus MAT. er PATR. ia. TULL. Ita quidem hunc Numum pinxit *Aeneas Vicius* Aere 10. *Vitellii*: cujus Caput laureatum in Adversa comparere, hic vero *Sextiliam* ejus Matrem sedere, Indicis p. 46. notavit. Vereor autem valde, ne impostor quidam ex *Julia* Numo hanc imaginem, & epigraphen, fraude transtulerit in quemdam *Vitellii* Numum, eum hoc pacto singularem redditurus: per quem deinde *Vico* sit illusum.

III. *Argelatus* quippe in *Vitellio* alte hujusmodi de Numo tacet: neque hic talis fuit, quem Senatus in Matre tantopere honoraret, licet illa, *Suetonio* teste, *probatissima*, nec ignobilis foemina fuerit, qua duos Filios editos ex se, uno anno Consules vidit. Sed in *Vitellio* adeo parum solatii reperit, ut, dum illum ad Legiones missum, & Imperatorem dictum intellexisset, *pro afflicto eum statim lamentata sit*, nempe ob libidinem ejus, intemperantiam gulae, summamque profusionem: qua non aliud fatum, nisi quod ignominiosissime subiit, eidem vaticinabantur. Unde profecto *Sextilia*, si Mater tam turpis Augusti aere publico praedicata fuisset, abominatura id potius, quam gratulatura sibi, probro ingenti, nequaquam honori duxisset.

IV. Aliter cum *Julia* se res habet, apud quam hujusmodi fastus locum facile reperit: quamquam *Caracalla* filius ejus (nisi, quod volunt nonnulli, ex prima is Coniuge *Severi* fuerit:) *Vitellio* nihil melior, immo deterior exstiterit. In hujus foeminae Numis *Argelatus* p. 281. hujusmodi typos auro, argento, & aere, iterum atque iterum editos laudat, cum ejus Capite in Adversa, ac titulis: JVLIA PIA FELIX AVGVST. a. In Adversa nunc stat ipsa, nunc sedet, cum hasta pura, & ramusculo quasi triplici, ac epigrapha: MAT. AVGG. (scil. *Caracalle*, & *Getae*;) MAT. SEN. MAT. PATR. ia. PUBL. Quomodo vero *Julia* poterat esse Mater Senatus? TULL. Eo modo, quo Mater Patriae, exemplo *Liviae*, praedicata fuit: cura nimirum, & sollicitudine quasi

Materna, qua vel subinde apud Maritum Augustum commoda Senatus procuraverat, vel, ut procuraret, hoc pacto rogabatur.

PUBL. Numus alter Fœminam stantem habet ad aram succensam, cum patera, & hasta: ante Aram tria Signa Militaria stant erecta. Lemma est: MATER CASTRORUM. Infra: S. C. TULL. Hunc Numum æris medii, cum Capite & Namine *Juliae Augustæ* in Adversa, *Patinus* edidit Impp. p. 230. & *Argelatus* tam argenteum, quam æreum, Fœmina nunc stante, nunc sedente, recensuit. *Matris Castrorum* elogium *Julia*, pro voto *Severi*, adhuc vivens tulit, ad imitationem *Fauslinae* junioris: quod huic *M. Aurelius* defunctæ addiderat, postquam a Senatu Diva proclamata fuit. Quoniam enim cum ipso in Castris degens, emoriebatur, ille novam hanc Deam Militibus Patronam, ac Matrem dedit, quod *Jul. Capitolinus* in *Aurel.* docuit.

PUBL. Numus nonus perelegans est, & gemino Capite nitet jugato: quorum antè radiante Corona Solem referre videtur, posterius Lunam, cujus tesseram cornutam & in capite gestat, & sibi præterea etiam suppositam habet, non abludente lemmate: CLARITAS AVG. *usta.* TULL. Rarissimum hunc Aureum Numum selegi ex *Gotha Num.* p. 65. In cujus Adversa æque occurrunt Capita duo jugata, sed barbata, & laureata, cum epigraphe: POSTVMVS PIVS FELIX AVG. Sunt porro, qui Patrem & Filium, Tirannos ambos Imperium vi corripientes, hic exhiberi existimant: aliis Caput alterum aut Jovis, aut Herculis esse videtur, cum dubitent valde, an *Postumo* filius, & si filius, an *Coaugustus* is fuerit.

In Adversa *D. Liebe* legit: *Claritas Augusti*, id quod minime congrueret, si ambo *Postumi* existerent in Adversa, & quoniam laureati, verosimillime ambo etiam *Augusti*. Nullius autem injuria legetur *Claritas Augusta*, quæ utrumque pariter afficeret. Id, quod similiter existimem de Numo æreo parvo *Diocletiani* apud *Patin.* p. 353. Ubi circum Apollinem stantem cum Orbe, assidente captivo, æque scribitur: *Claritas Aug.* quamvis postea in Indice p. 426, notetur: *Augg. i. e. Augustorum*: ut nescias, ubi mendum irrepperit, vel an duplex sit Numus. Parvuli alii *Constantini M.* ac Filiorum ejus Numi habent: *Claritas Reipublicæ.* Sed non tricemur de hac Lectione: sufficiat nobis, rariores hos Numos ad peculiarium Elogiorum censum rite referri, neque

Claritatem Augustam splendidiore simul, aptioreque symbolo exprimi potuisse. Sol enim, ac Luna, universi mundi prima sunt lumina, quibus diu, noctuque illustratur pariter, ac fovetur.

VIII.
TAB. I.
N. X.

PUBL. Magis mihi peregrinus, nec minus rarus videtur Numus, quem proxime subjunxisti, cum capite radiato, & lemmate: DEO ET DOMINO NATO AVRELIANO AVG. *usto*. Quid sibi cumprimis vox *Nato* hic velit? TULL. *Spanhemianus* hic Numus est Tom. II. p. 491. & Oedipo indiget, nisi sententiæ viri illustris acquiescas. Subdit is, prædicari *Aurelianum* hoc Numo *Deum ac Dominum Natum*, quod esset e numero *γεννητῶν*, sive Deorum *Genitorum*, & Indigenarum, ad contrapositionem alterius Numi, ubi *Sol* simpliciter dicitur *Deus ac Dominus Imperii Romani*, cujus oras omnes cum Orbe perlustret, *Ingenitus* autem, ac *Aeternus*, ut opinabantur, & ex *ἀγενεῖτων* numero.

IX.

PUBL. Forte Cl. *Harduinus* alicubi aliter hariolatus est: vel, si ex ingenio, ac usu ejusdem hic agere liceret, sub voce *Nato* ænigma latere credi posset, disjectis literis ita forsitan evolendum: DEO ET DOMINO N. *ostro* A. c T. *riumphatori* O. *rbis* AVRELIANO AVG. Ingenii causa hoc a me festive inspersum accipias, obsecro. Ansam cepi ex clarissimis, usque fere perpetuis hujus Imperatoris triumphis, quos de variis barbaris populis, Imperium graviter laceſſentibus, itemque de compluribus e Tirannorum sub *Gallieno* insurgentium turba, feliciter ad officium compulsis, cum gloria retulit. TULL. Non plane absone interpretatus es, mere vero conjecisti, licet Aversa tuum in sensum percommoda videatur. Ibi enim duo milites Coronam lauream sustinent, clypeo hostili abjecto subtus cubante, addita epigraphe: RESTIT. *utor*, aut *Restitutori* ORBIS. Alio in Cari Numo similiter legas: DEO ET DOMINO CARO AVG. Nimirum *Deo*, non similitudine naturæ, sed Potestatis, ac Majestatis. Utcunque vero hanc vocem emollias, attamen blasphemiam non effugit.

DIALOGUS V.

Probi, Severi, Constantini M. & Gratiani Præconia singularia.

PUBLIUS.

DUm Numum XI. intueor, illorum recordor, quos confimili, licet vario typo, pinxeras mihi in *Exerc. Proem.* Tab. VI. simulque *Dial. XX.* monueras, hoc pacto exprimi non infrequenter solitos esse vel ipsius Romæ Authores, primaque incunabula exhibita fuisse, si ipsa in Urbe hujusmodi Numi signati sint: vel alias hac forma Colonias Romanas, quæ Jus Civitatis haberent, Originem suam indicasse. Præfente autem in Numo, haud obvio, supra Lupam, quæ Romulum, Renumque lactat, scribitur: **ORIGINI AUG.** *ustæ*, vel *AUG. usi*: infra lego notas numerales XVII. I.

TULL. Parvum hunc æreum Numum reperi apud *Goth. Num. p. 455.* cum capite Probi radiato in Adversa. Parum vero Erudiciff. Eruditor hic exponit: nisi quod advertat, Originem *Probi* esse in obscuro, cum *Aurel. Victor* eum Dalmatam, *Vopiscus* Pannonium fuisse tradiderit: unde communiter Sirmio scribitur oriundus. In id autem inclinât, eum, qui hunc Numum concepit, Originem *Probi* Romanam, i. e. ex Urbe, quæ jure Romano gauderet, prædicare voluisse. Addit præterea, parem se *Claudii Gothici* Numum vidisse: unde quodammodo fluere videatur, ambos Imperatores eadem patria Urbe, & Colonia Romana progenitos. Commemorant hunc Numum etiam *Spanhem.* II. p. 602. & *Argelatus* p. 412. nihil vero in eodem docent. Prior tamen hoc duntaxat observat, Lupam Numis expressam, deductæ a Romanis Coloniae tesseram esse: in portis vero, ac porticibus ipsius Romæ Urbis exsculptam, designasse, quod id Romanorum esset opus. II.

III.

PUBL. Quod si hoc in Numo scriptum esset, aut legeretur: *Origini Augusta*: extra dubium fore crederem, hic non de *Probo*, sed ipsa Dignitate Augusta, sermonem esse, quæ Originem suam *Origini Romanæ* debuit. Si tamen a *Probo* recedere non libeat, nec liceat, is certe, nisi per Nobilitatem Generis, per propriam animi Virtutem, & laborem infatigabilem, atque fortitudinem bellicam, sive, dum sub Antecessorum Imperatorum auspicio, sive suo, jam ipse Augustus, exercitum duceret undique prope victricem, *Origine Romana* maxime dignum se præstitit.

IV.

TULL. Antequam proximum Numum XII. intuearis, memorem esse te velim eorum, quæ Parte anteriori, dum de Apolline ageremus, tibi suggereram. Quam scilicet peregrinam, & adversam omnibus aliis opinionem inierit, primusque in orbem jactaverit Cl. *Harduinus*, contendens, primam Cæsarum Gentem, quam omnes, cunctorum Scriptorum testimonio, cum *Nerone* desiisse norunt, scæminea tamen propagatione plura per Secula perdurasse, sic, ut postremos adhuc Imperatores cognatum *Augusti* Sanguinem ex Matribus, aut Conjugibus, aut Aviiis traxerint. Id, quod inter cætera ex Numis illis arguit, in quibus *Aeternitas Augusti*, vel alia consimilis epigraphe occurrit. Nec enim Veteres ita desipuissent, ait, ut ignorarent, hæc vota in hominem, qui mori deberet, non cadere. Aeternitatis itaque præconio Domus Cæsareæ, non Personæ, durationem optasse, & gratulatos fuisse. In quo, nemine forsitan invito, verus fuerat, si perennitatem Imperii apud Romam, non apud Gentem Cæsaris, optatam, prædicatamque dixisset. Quoties enim legimus in Numis: *Romæ Aeternæ*: item: *Aeternitas Imperii*? Esto porro, hoc etiam Principibus devotione Populi aliquando acclamatum fuisse: accommodato certe ad vices hominum sensu id factum esse, ratio sana cuilibet suadebit, tam scilicet ii diuturni ut essent, quamdiu fata id sinerent. Ubi profecto insipientiæ nihil intervenit.

V.

TAB. I.
N. XII.

PUBL. Admones hoc, quia nimirum tam prior Numus in *Harduini* sententiam pertrahi posset, quam subsequens: in quo Roma galeata, insidens clypeo, læva sustinens hastam, in Victoriolam, quam dextra extenta gestat, læta intuetur, cum epigraphe: PERPETUITAS AUGUSTI N. *ostri*. Infra: AQ. *uileia* P. *orcussa*. Bellus est hic typus, quoniam Urbs ista Imperium Orbis vincendo sibi adseruit, &, quamdiu vincebat, conservavit.

vit. TULL. *Severi Cæsaris*, quin & Augusti dicti, atque *Galerii Maximiani Armentarii* e Sorore Nepotis, hic Numus est apud *Patinum* p. 361. cum Capite ejusdem laureato in Adversa, ac Nominibus: FL. *avius VAL. erius SEVERUS NOB. ilissimus C. asar.* Hujus perpetuitas in Augusto culmine sane brevissimo, nec integri triennii termino circumscripta fuit. Verumtamen *Argelatus* p. 448. ex *Bandurio*, atque *Tristano* pares Numos adducit, in quorum uno AUG. in altero vero AUGG. *istorum* scriptum fuit.

PUBL. Parvulus est meus Numus æreus, integer adhuc, VI. sed lineis haud amplius asperrimis, quem tuo post anteriorem penicillo dignatus es, quoad partem averfam. TULL. Merebatur id nempe, si non elegantia, certe raritate sua: quare illum percense. PUBL. Adversa Protomen habet galeatam simul, ac laureatam, vultu virili, & mediocriter barbato, cum clypeo, relique humeris imposito. Epigraphe: IMP. CONSTANTINUS AUG. In Adversa duæ Victoriæ alatæ super cippum, in quo: VOT. V. præter palmas clypeum tenent, ita inscriptum: C. P. A. B. R. N. *Harduinianum* ingenium hic mihi peroptem. TULL. Succurret illud feliciter. Repertus fuerat Numus Constantinianus, ut me docet *Jobertus*, in cujus Adversa stat, apud *Argelatum* autem sedet figura, cum hasta, & orbe, ac epigraphe: CONSTANTINO P. AUG. BAP. NAT. quod legebatur: CONSTANTINO P. *atri* AUG. *usti* BAP. *tismi* NAT. *alis*. Obscuri & inconcinni sensus hæc Lectio, plausum tamen obtinuit Eruditorum, quod hic Numus Testis videretur, auro desiderabilior, Baptistini Constantiniani.

TAB. I.
N. XIII.

Recte.
XXIII. P.
m. 485.

Verumtamen eo exacte inspecto, & aliis consimilibus (in quibus an hic tuus etiam fuerit, ignoro) bona fortuna repertis, apparuit, literas nonnihilo exesas, vel attritas, rite cognitatasque non fuisse, & loco BAP. positum esse BRP. Quo animadverso, Cl. *Harduinus* hanc epigraphen ita resolvit: CONSTANTINO P. *atri* AUG. *usti* B. *ono* R. *ei* P. *ublica* N. *ato*. Quod elogium, cum optimo sententiæ fluxu enodatum, hos in Numos ex Lapidibus, & Panegyricis Orationibus, ubi non uni tributum fuit, translatum dicitur. Additur insuper confirmandi gratia: Imaginem nihil sacri, minime vero quidquam Baptismum innuens, referre. *Constantinum M.* dum baptizaretur, sive citius id, sive sub vitæ demum finem sit factum, tunc tamen *Patrem*

Au-

Augusti scribi non potuisse: cum tres Filii ejus, quamdiu ipse superstes erat, non nisi Cæsares permanferint. Demum, hos Numos ne quidem esse *Constantini M.* qui *Flav. Julius* dicebatur, sed alterius cujusdam, qui *Flav. Claudius* appellatur.

VIII. Hæc fere Doctiss. *Jobertus*: qui contendit, *Flaviæ* Gentis diversas Lineas fuisse, *Juliorum, Claudiorum, Valeriorum, & Maximorum.* Omnia quippe hæc Nomina, inquit, nullo in Principe unquam conveniunt: Vultus præterea eorum nimio opere sunt discreti. Putem ego, hanc thesin demonstratione multa, & admodum solida egere: quam talo suo cubare interea permitto. Numulum vero tuum *Constantini M.* esse, certissime teneo: qui in aliis apud te Numis per sæpe scribitur *P. ius F. elix AUG. usus.* Unde non video, cur in præsentis Numo legi oporteret: **CONSTANTINO P. avi A. ugusti, & non potius P. io A. ugusto B. ono R. ei P. ublica NAT. o.** Quæ postrema libenter accipio.

IX. Quod in cippo legis: **VOT. V.** designat *Vota Quinquennalia*, pro primo Imperii Quinquennio feliciter exacto An. Chr. 310. soluta: de quibus infra Cap. III. plura. **PUBL.** Amo te plurimum, quod Numulum hunc commentatione tua mihi chariorem effeceris, eleganti, & bene merito tanti Principis elogio scite exornatum. **TULL.** Perge sis jam ad Numum **XIV**tum, quo Caput hoc I. nobili coronide finiemus. **PUBL.** Confident in eo *Fœminæ* duæ, galeata una, cum hasta, & *Victoriola*, quam dextra super orbem gestat: qualem & altera sustinet, capite turrato spectabilis, lævo brachio *Cornucopiæ* sustinens, ac pedem proræ navis imponens. Epigraphe: **GLORIA ROMANORUM.** Infra: **AQ. OB.**

TAB. I.
N. XIV.

X. **TULL.** Numum hunc aureum, æris vero media magnitudine, Medallionibus accensendum, vulgavit *Eruditiss. D. Liebe Goth.* Num. p. 363. estque *Gratiani*, cum ejus *Protome* diademata, & nomine: *D. ominus N. offer* **GRATIANUS P. F. AUG.** In *Aversa* geminam *Romam* intueris, *Antiquam Occidentis, & Novam Orientis*, videlicet *Constantinopolim*: quam *Constantinus M.* e diruto per *Sept. Severum* *Byzantio* splendide instauratam, *Sedi Orientis* destinavit, *Novamque Romam* dici voluerat. Hæc cum ad mare sit, *Genius* ejus muliebris navi pedem imponit. *Turres* in capite commune sunt *Symbolum Urbium*: *Cornucopiæ* divitias, & ubertatem demonstrat. Utraque cum pugnare

gnaret, & victrix esset, ambæ gestata Victoriola superbiunt. Romæ tamen veteri, quæ militibus potius, quam civibus coaluit, galea sua permixta est, in qua semper ab antiquo Martia comparuit.

Hæ porro geminæ Urbes, Imperii utriusque Metropoles, XI. junctim, non singillatim, tunc temporis erant vera *Gloria Romanorum*, ut commodum observat D. *Liebe*, subjuncto D. *Gregorii Nazianzeni* perbello epigrammate, quod latine conversum ita sonat:

Natura quidem binos haud Soles dedit:
Dedit ipsa binas attamen Mundi Faces
ROMAS, *Vetustam* scilicet *Romam*, ac *Novam*,
Hoc discrepantes invicem, quod, qua cadit
Sol, illa fulget, lucet hæc, qua se exerit.
Par utriusque pulchritudo, par decus.

De vita
sua Opp.
Tom. II.
p. 9.

Postremus versus id insinuare videtur, quod refert Historia: videlicet *Constantinum* dedito studio Constantinopolim ita initio struxisse, ut ædes principes omnes exacte Romanis pares essent, ac Senatores illuc vocati, suas quasi Domus, eadem forma, elegantia, & amplitudine structas, instructasque, qua erant Romæ, hac nova in Urbe reperirent.

Subscriptionem AQ. OB. legerunt alii: AQ. *uileia* OB. *signata*, nempe Moneta. Cui vero lectioni, tam hic, quam in aliis Numis pariter subsignatis, obstrepit Cl. *Harduinus*, contendens, nullam prorsus Italiæ Urbem, extra solam Romam, Augustis Numos dicasse. Quapropter AQ. legi vult *Aquis*, i. e. *Aquisgranum* Germaniæ: id, quod suæ fidei sit. PUBL. Eleganter hunc Numum singularem illustrasti: quem & *Argelatus* laudat p. 510. *ex du Cange* Numismat. Constantinop. Christ. perperam vero sub anteriori figura galeata Imperatorem agnovit. XII.

DIALOGUS VI.

Monumenta publica in honorem Augusti, & Hadriani oblata.

TULLIUS.

- I. **A**ggredimur Caput alterum Obsequiorum, quibus Populi affectum suum in Principes peculiariter contestati sunt, sive per Dona, vel Monumenta publica, aut etiam solo Numorum officio præstita, in quibus Provinciæ integræ, non ut armis devictæ, quod in Actis Belli Part. III. vidimus, sed ut beneficiis devinctæ, Augustis obsequentes comparent. Primus huc attinens Numus est apud *Aen. Vicum* Arg. Augusti 13^{tio}, cum Clypeo, quem *Argelatus* claviculatum vocat, quia triplici circum orbe meros quasi clavos infixos redhibet. Pone, ac supra, infraque scribitur: IMP. CÆSAR DIVI (nempe Julii) F. *ilius*. Scutum, & Clypeus multis quasi synonyma sunt, non vero iis, qui Romano ex usu scite loqui didicerunt. Maxime enim forma differebant: quæ in Clypeis rotunda, in Scutis oblonga, & prope ad hominis erat mensuram. His namque milites obtegebant corpora: illis, qui certis notis distincti fuerant, utebantur duntaxat signi loco, ut in calore prælii dispersi, dum ad ordinem clangore tubæ revocabantur, unusquisque Legionem suam internosceret.
- II. Potior autem Clypeorum usus domi fuit, & in Templis. Aut enim doni, publicique monumenti loco, elegantes æque, ac pretiosi, offerebantur Augustis: vel Diis pro iisdem suspendebantur. Quo pacto erant Votivi, imagine quandoque illorum, pro quibus vovebantur, aut saltem nominibus ipsorum, subinde & votentium, item votis ipsis, aut rebus devotis inscriptis. PUBL. Hujus itaque loci citra dubium pariter esse poterant gemini Numi *Tiberii*, quos Part. II. Tab. II. n. 18. & 19. mihi pinxeras,

TAB. I.
N. XV.

xeras, cum Clypeis ornatis, & medias imagunculas referentibus. Quos tamen, quia *Clementia*, & *Moderationi* fuere dicati, ad chorum virtutum traxisti. TULL. Recte cogitas. Aliud quoque exemplum præbet alter *Augusti* Numus apud *Vicum* Arg. 6mo. In cujus Adversa, juxta Indicem voce *Clypeus*, nihil est, nisi nomina: CÆSAR AUGUSTUS. Aversa Clypeum simplicem refert, parvum, & inornatum, intra quem legitur: S. enat. P. opul. Q. ue R. omanus. Et: CL. ypeus V. otivus: aut: CL. ypeum V. ovit.

PUBL. De *Augusto* non miror, pro quo victimas testamento constituerunt nonnulli morientium, Diis immolandas pro eo, quod ante ipsum e voto suo decesserint. De *Cajo* autem Caligula magis peregrinum est mihi, quod narravit *Suetonius* cap. 16. inquires. „ Quas ob res (initio scilicet Principatus laudabili-
 „ ter gestas) reliquos inter honores, decretus est ei *Clypeus Aureus*,
 „ quem quotannis certo die Collegia Sacerdotum in Capitolium
 „ ferrent, Senatu prosequente, Nobilibusque pueris, ac puel-
 „ lis, carmine modulato, laudes virtutum ejus canentibus. „
 Quo testimonio, quæ tu de Clypeis dixeras, egregie constabiliuntur, manifestumque fit, horum dedicationem, & oblationem, votivorum Populi Studiorum in Principes partem haud minimam fuisse.

TULL. Numus XVI. argenteus apud *Patinum* Fam. p. 174. IV. publici monumenti, ære insuper in ævum transcripti, est index, TAB. I. quod *Augusto* ponebatur: dum Caput ejus intra Sertum laureum N. XVI. vultu integro sistit, cum epigraphe: CÆS. ari AUG. uslo CONS. ensu S. enatus C. ommuni OB R. em P. ublicam CONS. ervatam. Sic legendum esse, docet Numus alter, in cujus cippo scriptum: IMP. eratori CÆS. ari AUG. uslo COMM. uni CONS. ensu. Forte hoc monumentum, cujus in hoc Numo Signum duntaxat, expresso Capite Cæsaris, edebatur, fuit illa Statua Equestris, quam ante Portam aliquam Urbis, certe ante Palatium quoddam, exhibet Numus insequens, ab *Argelato* laudatus p. 28. & ad *Aen.* N. XVII. *Vici* lineas Arg. Aug. 93. a me pictus: in cujus basi legitur: S. P. Q. R. IMP. C. avari. Aegrum est, inter tot *Augusti* monumenta, quibus eum invitum certatim obruebant tam ipsi Romani, quam Populi Provinciarum, exacte discernere.

PUBL. Deinceps locum dedisti pluribus *Hadriani* Numis, V. meis partim, partimque alienis: in quibus omnibus Provinciarum

varia obsequio ejusdem accumbunt, vel assident. Hic namque Imperator Orbem prope terrarum, Romanum certe, qua late patuit, non armis, ut alii, sed pacatus, ubique benefaciendo, nullo pari ceterorum exemplo, pertransiit. Primum *Aegyptus*, habitu foeminae humi residentis comparet, qua laevo cubito super calathum frugum innixa, dextra elata sistrum Isis ostendit: ad pedes ejus stat Ibis, Avis Aegyptia: Supra legitur: AEGYPTOS. Numus hic meus est. TULL. Recte hanc volucrem vidisti, qua, *Plinio* teste, Ciconiae species est, sed nigra, Aegypto soli fere propria, & aequae serpentibus hostis. *Hadrianus* ex Judaea in Aegyptum transiens, ibi Pompejo parentavit, ejusque disiectum sepulchrum restituit.

VI. PUBL. Est pariter apud me Numus Tabulae tuae II. primus: TAB. II. in quo vir senex, ac seminudus in terra confidet, Cornucopiae N. I. laevo brachio sustinens, unde Locum Aegyptium prominet, cruribus ejus quasi ablandiente Crocodillo: quo noxio animalium genere fluvius Aegypti plenus est, cujus nomen adscribitur: N. II. LUS. Infra: S. C. Proximus Numus, hanc pariter ad Provinciam attinens, rursus Foeminam redhibet, rupi humili assidentem: qua dextra tres frumenti spicas in altum effert, pluribus aliis ante eam excrescentibus: laevo brachio fruticem sustinet aliquem patrium. Supra lego: ALEXANDRIA: una videlicet ex praecipuis olim Urbibus Aegypti. In tertio Numo Foemina in terra residet ad petram, cui galeri loco est caput elephantis, extenta proboscide: elata dextra scorpionem tenet, laevo brachio cornucopiae sustinet, & ante se catinum cum floribus habet. Adscribitur: AFRICA: scilicet monstrorum ferax, in qua, ut proverbio dictum, *semper aliquid novi est*.

VII. TULL. Recte haecenus omnia. PUBL. Numus IV. Maurum prope seminudum cum telo stantem habet, cumque sonipede, quem freno retinet: Epigraphe: MAURETANIA. Barbarum olim hoc regnum, cujus hodie potissimae partes Fez & Marocco esse scribuntur, equorum fertilissimum erat. Ejus motus, atque tumultus, opera Martii Turbonis Ducis feliciter compressisse *Hadrianum*, tradidit *Spartianus*. Quinto in Numo Foemina rupi assidens, & incumbens, elata dextra olivae ramum gestat, accumbente ad pedes cuniculo. Supra: HISPANIA. Hoc animalculorum genere certis in partibus tam foecunda est haec Regio, ut,

ut, *Varrone* teste apud *Plinium* L. VIII. c. 29. aliquando integrum ibi Oppidum ab eisdem suffossum fuerit. Neque minus olivis Hispania abundat.

Numus VI. refert Fœminam generose sedentem, cum hasta, VIII. quæ lævo brachio super clypeum nititur, dextro super genu quiete. N. VI. scens, quasi caput suffulcit, pede supra muri partem imposito. Nomen eidem est: BRITANIA. Moderni adhuc Numi Anglici, maxime ærei, hac fere imagine existere solent. TULL. Nequit Anglia tempore *Hadriani* sub jugo Romanorum contineri: adiit ille tamen has Insulas, & ne Britanni Romanas in ditiones quolibet motu transire possent, murum per LXXX. millia passuum ad barbaros hos continendos primus duxit: qui forte in hoc Numo indicatus fuit.

Cæterum hos omnes Numos *Hadriani*, pluresque alios, exhibuit *Patinus* Imp. p. 152. Maximo autem numero recensuit *Argelatus* p. 174. seqq. Multi horum celebrant Adventum illius: in aliis Provinciæ se restitutas fatentur. Unde sic habent Epigraphes: *Adventui Augusti Italia*, vel *Achajæ*, vel *Arabia &c.* Item: *Restitutori Asiæ*, *Bythinia*, *Britannia &c.* immo & *Restitutori Orbis Ferrarum*. Qualia Elogia, extra hunc Imperatorem, vix ullus cæterorum, tanta vero copia nullus penitus tulit, his prope omnibus Numis Romæ, cum addito S. C. i. e. Senatus Consulto signatis. Pinxit præterea *Patinus* p. 156. viginti Numos plerumque Ægyptiacos, cum diversis Numinum, aut Animalium suorum, vel Germinum imaginibus, & absque alia epigraphæ, solis Annis imperii *Hadrianei* adscriptis. Ut: L. A. Δ. IA: i. e. Anno primo, quarto, undecimo: vel integris vocibus: Ut L. ENNEA: L. ΔΕΚΑΤΟΙ: Anno nono, decimo &c.

Hi omnes Numi, venerationis, & gratitudinis causa signati, haud immerito in Votivorum Obsequiorum censum, ac numerum conveniunt. PUBL. Spatiosum, ut video, campum argumenti præsentis tu aperis: ut, qui sequi ordinem tuum vellent, ac præterea Numis insigniter abundarent, seriem præfixo lemmate: *Votiva Populi Studia in Augustos*: plane prolixam instruere possent. TULL. Videamus jam proxime, quomodo Populi aliis Imperatoribus Officia sua in Orbis conspectu contestari studuerint.

DIALOGUS VII.

Paris devotionis Numi erga alios Imperatores.

PUBLIUS.

I.
TAB. II.
N. VII.

ELegans est Numus meus æreus medius, cum capite *Commodi* laureato in Adversa, ac titulis: M. arcus COMMOD. ANTONINUS PIUS FELIX BRIT. amicus. In Adversa per te picta graditur Martia Roma Ducis habitu, qui galeatus, & paludatus, dextro humero Aquilam gestat Legionarem, lava *Victoriolam* super orbiculum portat. Pone S. C. circum: BEATO AUG. *usto* ROMA BEATA. Non facile hæc Urbs cuiquam Imperatorum tantum adulata est, quantum huic stupido, sed ambitiosissimo Principi: qui tamen eam, non ut Orbis Dominam, unde sua Majestas, ac Potestas esset, verum ut famulam habuit, suamque Coloniam dixit.

II.
N. VIII.

TULL. Qui hunc excipit, Numum æreum, ac magnum, jam quidem commemoravi tibi Parte IV. anteriori, dum de Neptuno differeremus, cum peculiari Cl. *Harduini* lectione: quia tamen & huc attinet, illum etiam pinxi tibi, & Interpretis laudati verba largius excipio e Tom. I. *Pliniano* p. 429. nota 139. Stat in eo Imperator velatus, & laureatus, ad aram ardentem cum patera, coram adstante Neptuno, tridentem sustinente, ac Delphinum gestante, pede lævo proræ navis imposito. Epigraphæ: SEC. IMP. (quod alii legebant, *Securo Imperatore*) OMNIA FELICIA. TR. P. XV. IMP. VIII. Infra: COS. VI. P. P. quæ sunt residua ex Adversa *Commodi* Imperatoris elogia.

III.

Porro Vir Cl. primum quidem suo sensu arbitratus, etiam Tabella Genealogica demonstrare conatus est, *Commodum* dictum esse *Felicem*, non elogii, sed cognati sanguinis causa, quem linea materna ex *L. Cornel. Sulla Felice* traxisset: unde ulterius intulit,

lit, quotquot deinceps Imperatorum dicti sunt *Pii Felices*, ex *Commodi* propagine ortos esse. Quod hic in disceptationem non traho. Hæreo duntaxat ad Numum præsentem, quem ille in suæ sententiæ illustrationem, ac veluti confirmationem assumsit. Ita enim profecutus est anteriora. „ In *Felicis* cognomine ludit ingeniose Numus singularis ex ære maximo - - - . Inscriptio:
 „ SEC. IMP. OMNIA FELICIA. Hoc est: S. *alvo E. exercitu*
 „ C. *ommodi* IMP. *eratoris* OMNIA FELICIA. *Felix* Imperator, *Felix* Imperium, *Felix* Exercitus, *Felix* Navalis Expeditio, reduce nimirum ex aliqua transmarina regione, & sospite Exercitu. - - - Pertinet hic Numus ad Ann. Christi CXC. „

IV.

Acclamarem ego Cl. Interpreti hoc pariter in Numo enodando *Felix* Ingenium, si Expeditionem quamdam transmarinam, e qua hoc anno redierit Exercitus, historice asseruisset. Quoniam vero pluribus in Numis hujus ejusdem anni apud *Argelatum* p. 254. & seq. lego: *Roma Felix: Fel. Temp. Temporum Felicitas: immo &: Salus Generis humani:* nullibi tamen militare aliquod signum descriptum reperi, quale neque in Numo præsentis comparet: nescio profecto, cur super *Salvum Exercitum*, & non super *Securum* potius *Imperatorem*, qui hoc anno Matris insidias evasit, fundari dicam *omnium Felicitatem*. Prora navis *Neptuno* tam probe congruit, ac eidem tridens, & delphinus conveniunt: cui æque, ut hic in Græco Numo *Julienfium* Phrygiæ, quem ii *M. Aurelio* cuderant, pede dextro insistit. Non igitur disjiciendæ syllabæ SEC. æquam fortemque rationem dispicio. PUBL. Legam ego tecum SEC. *uro* IMP. *eratore*, probe gnarus, aliis quibuslibet per te liberrimum fore, ut lectionem *Harduinianam* præhabeant.

Apud Cl.
Frælich.
Tentam.
p. 198.

V.

TAB. II.
N. IX.

TULL. Insequentes duos e tua penu Numos ipse enarra. PUBL. Prior eorum est *Philippi* Arabis Patris: in cujus Aversa graditur mulier capite alte vittato, cum signo barbaro in dextra, caput Asini referente: læva vexillum sustinet, literis D. *acia F. elix* notatum. Ad pedes hinc, & inde Aquila cum ferto laureo in rostro: item Leo stans. Epigraphe: PROVINCIA DACIA. Infra: AN. no I. *mo*. TULL. Paulo aliter pinxit hunc Numum Cl. *Patinus* p. 304. ubi Fœmina in dextram conversa stat, dextraque vexillum sustinet, in quo D. E. Lævo brachio gladium recurvum, quasi falcem, tenet. Sic pariter Numum istum ex eodem commemorat *Argelatus* p. 344. subjecta vero notula, lite-

ras

ras vexilli forsitan esse DA. quibus *Dacia* indicetur. Hoc autem tuo in Numo praesenti perspicue legitur: D. F. quas recte interpretatus es. Apud Cl. *Fralichium* Tentam. p. 135. in *Etruscilke* Numo stat Fœmina cum ramusculo, & baculo. In *Gallieni*, & *Volustani* Numis ibidem p. 137. & 140. cum gemino Vexillo, in quibus leguntur numeri V. & XIII.

VI. Daciam porro, quæ hodie Transylvania est, *Trajanus*, confecto *Decabalo* Rege, in provinciam redegit: *Philippus* vero, quod e *Zosimo* colligunt, eam a *Carpis* vindicavit, *Liberamque*, & *Immunem* dixisse putatur. *Carpi* ejecti sunt Anno hujus Imperatoris quarto: a quo *Dacia* epocham suam inchoavit, scribens postea in segmento Numorum suorum: AN. no I. II. III. &c. Ob hanc quoque vindicationem suam, ac Libertatis, & Immunitatis privilegia obtenta, *Felicem* reputare se merito potuit: quo elogio apud *Argelatum* p. 353. in duobus Numis argenteis *Trajanus* *Decis* gloriatur, ubi diserte scribitur: DACIA FELIX. In Signo suo militari *Dacia* praesetulit caput *Asini*: quapropter ipsi quoque *Daci* *Asini* compellati sunt. Rude quidem hoc animal est, ac contemtum: quia tamen firmum simul est, ac intrepidum, *Homerus* veritus non fuit, *Ajacem* pugnantem cum *Asino* comparare. In sacris Vestæ *Asini* coronabantur, ejusque ferculum portabant: unde *Virgilius* in *Copa* n. 26. *Pesce* delictum est *Asinus*. Notante *Picris* *Valerio* *Hebraei* *Cabalistæ* *Asinum* pro *Sapientiae* symbolo jactabant, quod praecipis non esset, sed morosus, ad subeunda onera, quæ declinare non possit, silens, patiens, fortis, ac promptus: uti decet *Sapientem* esse, cujus animus est supra fortunam.

Hieroglyph.
L. XII.
c. 22.

VII. Aquilam, & Leonem, *Patinus* Animalia forte patria esse suspicatus est, quæ in *Dacia* frequentia forent. Quidam, in quibus & *Harduinus*, Aquilam intuebantur tanquam Imperii, Leonem tanquam hujus Provinciae Insigne. Sed, cum in aliis Numis, a me supra commemoratis, Fœmina duo vexilla sustineat cum inscriptis numeris V. & XIII. Cl. *Fralichius* arguit, ac probat, Legiones, *Quintam* ac *Decimam tertiam* in *Dacia* collocatas fuisse: quod etiam *Dio* asserit L. 55. Harum prior, *Macedonica* dicta, in *Gallieni* Numis cum Aquila, & altera *Gemella* cum Leone depingitur. Unde fluere ait, hæc Animalia in *Dacia* Numis designare has Legiones: quemadmodum in Numis Coloniae *Viminacæ*, sive hodie *Widini*, Taurus, ac Leo, Legionis IV. & VII. ma

Clau-

Claudia symbola, harum Veteranos illuc deductos testantur. Quod Aquila Sertum laureum rostro deportet, in gratulationem *Victoriae* *Carpicae* factum concludit.

PUBL. Supra spem ex hoc Numo me docuisti. Teneo *Trajanum Decii* quoque Numum æ eum, in quo Fœmina signum Asinum gestat, adscripto nomine: DACIA: quam hic denuo devotionis, & obsequii causa consistere reor. TULL. Idem sensit *Patinus*, qui Daciam in hujus Imperatoris Numis frequentius expressam credidit, quia ipse patria Dacus fuit: atque hanc ipsam ob causam Provinciam istam *Felicem* esse prædicatam, sibi persuasit. PUBL. Argenteus meus hujus *Trajanum* Numus, quem tu post anteriorem pinxisti, duas Fœminas redhibet, opposito sibi tergo adstantes, ambas turrito capite, quarum & quælibet Signum Romanum tenet. Epigraphe: PANNONIÆ: nimirum geminæ. Familiare quippe Romanis fuisse novi, amplas Provincias in partes tribuere: ut me in *Exercit. Proëm.* Dial. VI. n. 1. p. 59. docuisti ad *Macedonia Primæ* Numum, quam Provinciam partibus quatuor distinxerunt. *Pannonia* partes duas fecerunt, dixeruntque *Primam* unam, alteram vero *Magnam*. TULL. Reminisceris probe, & apposite applicas.

VIII.

TAB. II.
N. X.

PUBL. Quem posthac subjunxisti Numum, oppido singularem, ut facile reor, quo ex horto decerpisti? TULL. Ex *Harduiniano* Plinii Tab. VI. n. 5. de quo agit Tom. I. p. 389. sq. Adversa ejus *Probum* sistit in corona radiante, ære parvo, cum solitis titulis. In Aversa stat ipse paludatus, cum Sceptro militari, dextra elata: hinc & inde duæ figuræ nudæ consistunt, quarum quælibet nudam aliam parvulam personam, tensis manibus de genu supplicantem, quasi filii eorum essent, Imperatori offerre, ac commendare videntur. Epigraphe: VICTORIOSO SEMPER. Promeruisse hoc elogium *Probum* victoriis perpetuis, vix erit, qui ambigat: ad quod vero Cl. *Harduinus* totus invitus est.

IX.

N. XI.

Victoriosus quippe latine dici non potest, & a *Catone* aliquando dictum esse, *Gellii* figmentum reputat: uti & fictas pariter Inscriptiones apud *Gruterum* cavillatur, in quibus *Victoriosissimus* legitur. Eos denique omnes, qui has voces calculo suo, quasi Romanas, dignantur, hoc Numo deceptos affirmat: in quo legi non debeat *Victoriosus*, propter additam particulam *semper*, quæ super efflueret. Ut enim, suo sensu, *ebriosus* ille dicitur, qui ex

X.

E

omni

omni convivio ebrius abit: ita *victoriosus* ille intelligeretur, qui omni ex bello, & prælio Victor discederet. Quod si ita: quid sibi vellet particula *semper* otiosissime adjecta? Sic ille bello grammatico in lectionem hujus Numi depugnat.

XI.

Pacem tamen largitur, si sibi e literis disjectis hanc largiamur sententiam. V. *irtuti* I. *nvicti* C. *asaris* T. *utatori* O. *rbis* R. *omani* I. *mperatori* O. *ptimo* S. *tatuam* O. *btulit* S. *enatus* E. *duensis* M. *emorie* PER. *petua*. Statuam scilicet cum tot figuris, quot exprimit Numus. *Virtus*, addit, *Probi Augusti*, *Virtus Invieli Augusti*, etiam circa Caput ejus, persæpe est in Numis. PUBL. Ipsemet hæc lego meis in Numis. Ast enim elogia ista, quam brevia, tam aperta, tamque perspicua sunt, ut Probi laudes in meridie ponant. Contra vero Panegyris *Harduini*, tot nodis, quot literis implexa, cum præter ipsum omnes fugerit, huic nostræ saltem ætati, priusquam ille hac tuba insonaret, nihil dixit.

XII.

TULL. Desideres hic merito indicem quempiam Senatus Eduensis. An deinde voces in *usus* exeuntes perpetuitatem undique secum involvant, vehementer ambigo. Certe *gloriosus*, *invidiosus*, *laboriosus*, *otiosus*, juxta Indicem *Harduini*, voces *Pliniane* sunt, quarum apud ipsum autoritas maxima. Quis autem undique gloriatur, invidet, laborat, otiatur? Unde non supereffluo, dum v. c. scribo: *Semper laboriosus*, ut frequentiam laboris, non perpetuitatem, deprædicem. Adhæc, qui semel Augustus erat, Augustus permanlit: nihilo secius tamen in Constantinop. Christian. Tab. XIV. in *Juliani* Apostatæ Numis circa Caput ejus, diademate nitens, legitur: D. N. JULIANUS SEMP. AUG. *Gruterianis* quoque in Inscriptionibus, ad quas fictionis damnandas majori autoritate, ac argumento foret opus, etiam *Diocletianus*, *Maximianus*, *Constantius Chlorus*, *Constantinus*, multi que succedentium Imperatorum, quod Ill. *Sparshemius* Tom. II. p. 391. pluribus enarrat, *Semper Augusti* collaudati sunt: *Leo* autem I. cum aliis post eum *PERP. etuus* P. *ius* F. *elix* AUG. prædicatus fuit.

XIII.

PUBL. De vocibus nimis anxie quærere, ut sæpe litem parit æternam, ac semper pendentem, ita plerumque boni temporis inanis jactura est, in rem vero parum admodum confert, aut nihil. Recenseo itaque Numum *Diocletiani*, æris eo tempore magni, quem

TAB II. ipse teneo, tuque pinxisti. Stat in ejus Aversa Fœmina in pileo N. XII. alto: quæ dextra extensa tria fila colligata tenet quasi Unionum, margari-

garitarum, aut corallium: lævo brachio cornucopiæ gestat, frugibus oppletum. Pone est litera I. Circum lego: SALVIS AUGG. *ustis* ET CÆSS. *aribus* FELIX KARTHAGO. Alio in Numo *Maximiani* Herculei stat Fœmina capite nudo, non stolata, ut ante, sed togata, dextra frondem trifidam gestans, quasi lilium, læva tres spicas demissas. Epigraphe eadem est, quæ prius, nisi quod solummodo scribatur KART.

TULL. Similes posteriori Numos *Patinus* exhibet in *Severo*, XIV. & *Maximino Daza*, *Argelatus* vero tam in *Diocletiano*, & *Maximiano*, quam sociis eorum, & Successoribus recenset: nullibi autem fila granulata, qualia tuo in Numo perspicua sunt, vel cornucopiæ commemorat, sed semper spicas, aut aristas, vel papavera, sive fructus ignotos, in manibus fœminæ describit. Sed mittamus hæc, quorum causas vix assequemur. Spicæ, plantæ, fructus, cornucopiæ, signa videntur ubertatis. Margaritis, unionibus, aut coralliis, *Carthago*, mari undique circumfusa, facile dives esse poterat. Hoc vero mirum est, urbem, quæ olim tot acerrimis bellis quasi per sæcula Romanam virtutem, veluti cotis in morem exercuit, jam se Cæsarum tutela, & gubernatione *Felicem* prædicare, eorumque salute publice gloriari. Utrumque innuens *Tertullianus* initio Libri de Pallio, *Carthaginenses vetustate nobiles, Novitate felices* dilaudavit. De qua & *Martian. Capella* prædicabat. *Propinqua Utica Carthago, inclita pridem armis, nunc felicitate reverenda.* Porro *Patinus* p. 362. alium adhuc Numum protulit *Alexandri* Tiranni, contra *Maxentium* acclamati: ubi Fœmina pileata stans, dextra spicas, læva vero papavera gestat, cum lemmate: INVICTA ROMA FELIX KARTHAGO.

PUBL. Numus XIII. utraque facie a te pictus, semel, ac iterum est apud me ex ære minimo, bellæ autem formæ, ac conser- XV. vationis. Adversa ejusdem caput habet ornatum diademate, addito ad pectus Cornucopiæ, quasi Genius foret. Epigraphe: TAB. II. POP. *ulus* ROMANUS. In Aversa sub Stella micante legitur intra Sertum laureum: CONS. V. S. An recte interpretor: CONS. N. XIII. *ervatori U. rbis S. ue*; TULL. Nil melius hætenus, certiusque mihi quidem innotuit, qui hunc Numum apud neminem vidi. *Patinus* in Indice p. 399. consimilem exhibuit, sed in Adversa cum laureato capite, in Aversa cum ponte supra fluvium, ut videtur, impositis turribus, aut columnis quadratis, intra quas est: CONS.

Existimat ille, *Constantinum M.* hic ut Genium Romanum depingi: quamquam Constantinopoli signatum Numulum tuum, Stella ejus tessera, indicare videatur. Quæ tamen & ipsa se Romæ Novæ præconio extulit.

DIALOGUS VIII.

Votorum apud Romanos frequentia,
& modus.

TULLIUS.

I,

Verit jam ordo tertium ad Caput, Votorum videlicet, a Populo suis pro Principibus editorum: ubi convenit omnino, ut generatim de frequentia, modoque Votorum apud Romanos te nonnihil præmoneam. Vehementer optatis, vel dubiis, cum primis vero arctis in rebus a Superis opem poscere, iisque promisso se obligare, omnis ævi, omnisque, quæ est sub Sole, Nationis fuit. Unde Votorum religio iis moribus, qui cum homine nati, Gentibus omnes communes evaserunt, certissime adnumeranda est. Recte igitur *Matheus Proverbius* J.C. & *Philologus Batavus*, *Vota* inter cæteras Divinæ Adorationis retulit species. Præterea nullo non tempore *Votum fallere*, hominibus execrabile fuit: ita, ut in eum, qui hoc ausus esset, Deus omni malorum genere ultos esse, nemo miraretur: et quotusquisque talis fato sinistro premebatur, se *Voti neglecti* causa luere, sibi certissime persuaderet. Sæpiuscule tamen a stolidis, maleque ferriatis hominibus ejusmodi *Vota* edebantur, quæ in omnem religionem pugnabant. Quod *Seneca* execratus, ita conquerebatur *Epist. 10.* „Nunc quanta est dementia hominum! Turpissima „*Vota* Diis infusurrant. Si quis admoverit aurem, conticescent, „& quod scire hominem nolunt, Deo narrant.“

Suppl. II.
Antiqu.
Græv. &
Gron.
col. 955.

Prima

Prima porro *Voti* discretio erat in *Publicum*, ac *Solemne*, quod Urbs tota, vel Provincia integra, publicis cum cæremoniis faceret: & in *Privatum*, quod unus, duoque, vel pauci emitterent. Temporis habita ratione, *Deliberatum* aliud fuit, præmeditante animo factum, ante, vel sub initium, quo quis Munus, Dignitatem, Bellum, vel quamlibet actionem inibat: *Fortuitum* aliud, impendente jam proxime discrimine conceptum, v. c. prælio jam ad cladem spectante, morbo lethali evadente: aliud plane *Subitum*, periculo præfente, ut naufragio, fulmine, lapsu. *Eventus* causa *Votum* aut *ratum* erat, cum obtingeret, quod quis oraverat, aut *caducum*, si Superi non audirent. Vinculi respectu *noxia* *Vota* dicebantur, cum emissa essent, quia hominem solutioni obnoxium reddiderunt, si complerentur: postquam vero impleta sunt, *debita* vocabantur, quorum obligatio remitti non poterat.

Modus, ac ordo *Votorum*, quæ deliberato fiebant, hic erat. **II.**
I. *Suscipiebantur* concepto proposito, vel ultro, vel pro more recepto, aut sui, aut Reipublicæ, aut Principis, aut quorumlibet aliorum causa, se Diis obstringendi. **II.** *Nuncupabantur*, disertis verbis fatendo, cui Deorum, quamobrem, & quo dono se quis debitorem facere vellet. Quocunque autem vergeret hæc devotio, *Janus* principio nominabatur, qui aditum ad omnes Deos aperire credebatur. **III.** *Inscribebantur*, & *obsignabantur*: tum vel Diis ipsis, vel porticibus, aut parietibus Templorum *affigebantur*. Unde *Juvenalis* Satyr. XII. v. 100.

Legitime *fixis* operitur tota *tabellis*

Porticus.

Et *Horatius* Libr. III. in fine *Lyricorum* suorum allegorice, quasi milites imitatus, cecinerat:

Nunc arma, defunctumque bello

Barbiton hic *paries* habebit.

Quoniam porro tabulæ plerumque, *Signa* semper e *cera* fuerant, & illæ, quando locus erat, inter *genua* *Idoli* affigi consueverant, denuo *Juvenalis* Sat. X. v. 55. ajebat:

Propter quæ fas est *genus incercare* Deorum.

Et Apulejus p. m. 492. *Votum in alicujus Dei femore assignasti.* IV. Quousque pendebat res, *Voti quis reus* erat; mox ut ea e voto successit, dicebatur *Voti damnatus*, tumque fixæ tabulæ, & Sigilla solvebantur, Donumque reddi necesse fuit.

IV.

Locus Votorum deliberatorum, & maxime publicorum, atque solemnium, nuncupandorum, aut solvendorum, in Urbe Capitolium fuit: in Castris erant Principia, ubi stabant Signa, tanquam Numina Castrorum. Dies publicorum erant Calendæ Januarii: quæ dum non sufficerent multitudinæ eorum, nec solemnitatibus omnibus, eisdem dies tertia mensis hujus quasi succenturiabatur. Ritus votendi fuit, elatis manibus in cælum fateri: *Voveo tibi Jovi &c.* Res, quæ vovebantur, omnis generis erant, pro magnitudine desiderii, quo quis rem bonam cupiebat, vel detestationis, qua malam averfabatur, & a Diis averruncandam flagitabat: item pro fervore devotionis, & maxime pro modo facultatis. Promittebantur igitur boves cornibus auratis, oves, porci, vestes, arma, coronæ, clypei, aræ, Templâ, Ludi, & reliqua. Hæc porro omnia dicebantur *Votiva*: quin & ipsæ Deorum aures, in Vota faciles, hoc epitheto efferebantur. Cum Vota redderentur, dicebatur: *Ex Voto*: vel: *Votum solvo lubens merito.* Quod in Templis, & Lapidibus indicabatur his literis: V. S. L. M. Plura de his, cum largis Veterum testimoniis, *Sam. Pitiscus* in *Lex. Antiquit.* Tom. III. voce *Votum*: item *Acerra Nov. Philolog.* Part. II. a pag. 655.

V.

Aequum est autem, ut hac occasione etiam & quinam olim *devoti* fuerint, nonnulla te doceam. *Devotio* nobis hodie vix quidquam aliud sonat, præterquam eximium Dei, & Sanctorum cultum, ac *Devotorum* nomine illos accipimus homines, huic cultui constanter, & insigniter deditos. Apud veteres autem Scriptores, Latinitatis Regnum obtinentes, hæc vox *Devotio* non unam habet notionem: & semper quidem deditioem sui, vel alterius, indicat, modis tamen plurimum diversis. I. Namque *Devoti* dicebantur clientes quorum, ut nobis *Jul. Cesar* L. III. de *Bell. Gall.* c. 22. exposuit, „hæc conditio erat, ut omnibus in vita *commodis* una cum his (intellige Patronis) fruantur, quorum se *amicitiæ* dederint: Si quid iis per vim accidat, aut eundem casum

„una

„una ferant, aut sibi mortem consciscant.,, II. *Devoti* appellabantur, qui vel desperatione, vel contemptu presentis periculi, se totos morti tradiderunt: quos *Horatius* Od. IV. 14. 18. *devota morti pectora* dicebat. III. *Devoti* nominabantur, quibus alii, vel qui & ipsi sibi malum grande imprecari sunt. Quo non immerito trahere possis illud *Seneca* Epist. 60. dum succenset Matribus, Nutricibus, Pædagogis maledicam in pupulos impatientiam, ita concludens: „Jam non admiror, si omnia nos a prima pueritia mala sequantur: inter execrationes parentum crevimus.,,

IV. *Devoti* audierunt, qui vel ab aliis communione sui exclusi, aut coacti sunt, se ipsos hoc pacto exclusos profiteri: qua ratione Sacrorum omnium fructu exciderunt, donec devotione hac liberi, rursum resacriati sunt. Cujus exemplum *Cornel. Nepos* L. VII. c. 6. adfert, scribens: „Alcibiades audivit, Eumolpidas Sacerdotes a populo coactos, ut se devoverent, ejusque devotionis quæ testator esset memoria, exemplum in pila lapidea incisum, esse positum in publico.“ Deinde post alia subdidit: „Iidem Sacerdotes Eumolpidæ eundem rursus resacrabant.,, V. *Devotionis* nomine veniebant Veneficia, quique magicis artibus alterum infectatus est, eundem *devotione petere* dicebatur. Sic *Tacitus* Annal. XII. 65. tradidit: „Germanicus comperiebat, veneficiis quoque & devotionibus impugnari se a Pisone.,, VI. Præcipua inter *Devotionis* genera, & quæ maxime ad Religionem attinere credebantur, illud fuit, cum hostis, exercitus, populus integer, Urbs, pluresque, vel unica quoque subinde persona, publica solemnique formula, brevi, aut proluxa, Diis inferis devovebatur, ut sic devotos modis omnibus exagitarent, persequerentur, plecterent, & usque ad interitum flagellarent. Quod vero solus poterat Imperator, vel Dux belli supremus: qui statim e converso, ob dubium prælii eventum, se, & exercitum suum, si occumberent, eorundem Deorum gratiæ commendavit, quorum iræ hostes devoverat. VII. Tandem sanctissimum *Devotionis* Romanæ genus erat, si vel unus, vel multi, pro salute Patriæ certissimæ morti ultro se traderent: quemadmodum de *Curtio* Equite Romano *Livius* L. VII. c. 6. narravit. Insuper vero notes, iis, qui *Diis Manibus* devovebantur, mortem solummodo esse optatam: quos autem *Diris* devoverant, omnium cruciatuum generibus, donec viverent, etiam vero a morte, obnoxios volebant. Consule denuo *Acerram* l. c. a. pag. 352.

VII. PUBL. Face hac rutila, quam in Religione *Voti*, ac *Devotionis* mihi accendere dignatus es, per commodum utar in lectione Veterum Scriptorum. TULL. Optassem sane, diligenter hoc facias. Quid namque sapiens ex Historia, Eloquentia, omnique Poësi antiqua, nisi Consuetudines Romanas, Græcasque illius ævi, usumque, qui tunc erat, sermonis pernoveris? Ut nos hodie morem nostrum in describendis quibuslibet Actis undique attendimus: ita & Veteres olim cuncta, ut more suo agebantur, & iis, quibus tunc efferebantur, nominibus retulerunt in Commentaria sua. Frustra quempiam verborum copia, selectaque phrasium, quod ajunt, perficere tentas, quamdiu eundem rerum ipsarum ignorantia laborare permittis. Cum porro hætenus generalem tibi Votorum cognitionem brevissime suggesserim: nunc peculiariter de *Votis*, quæ statis temporibus pro Principum salute edebantur, a me docendus es. Hæc etenim, quia tam crebra in Numis occurrunt, hujus loci proprium argumentum constituunt.

VIII. *Dionis* verba sunt Libr. L. III. „Cæsar (Augustum intellige) „quo longius Romanos a suspitione Regiæ Potestatis, sibi propositæ, abduceret, Imperium in suos *Decennale* suscepit. Et cum „primum *Decennium* exivisset, aliud *Quinquennium*, atque eo circum „acto rursum aliud *Quinquennium*, post *Decennium*, ac eo finito „aliud iterum decretum est: ita, ut continuatis *Decenniis* per totam „vitam Summam Imperii obtinuerit. Quam ob causam posterior „res Imperatores quoque, etsi non ad certum tempus, sed per „omne vitæ spatium eis Imperium deferatur, tamen *singulis Decenniis* „Festum pro ejus renovatione agunt: quod hodie etiam fit. „ Vulgo igitur persuasum est multis, *Quinquennialium*, ac *Decennialium*, quæ leguntur in Numis, primam originem ex *Augusto* fuisse: quod vero secus est.

IX. Nam & in veteri jam Republica moris erat, primum quidem *singulis Lustris*, i. e. quinto quolibet anno, pro Salute Reipublicæ *Vota* publica, & solemnia facere. Id, quod e verbis *Lucii Exuperantii* L. X. c. 7. eruit Ill. *Spanhemius* II. p. 526. qui percontabatur: „Quem pœnitere Votorum debeat, quæ pro Republica nuncupaverint tot Consules Plebeji, tot Dictatores? „ Item ex his aliis ejusdem verbis L. XXXI. c. 9. „Vovit in eadem verba Consul, „præeunte Pontifice Maximo, quibus antea. *Quinquennialia Vota* „suscipi solita erant. „ Deinde longe ante *Augustum* agebantur Vo-

ta publica pro principibus Viris, quibus rerum Summa domi, forisque concedita erat, puta, pro Consulibus, ac Imperatoribus bellicis. Teste *Vellejo Paterculo* L. II. c. 48. *Universa Italia pro salute Pompeii, primo omnium Civium, Vota suscepit.* Ut adeo Religiosa hæc Solemnia non cœperint ab Augustis, sed ad eos, ut reliqua omnia Summa, transferint.

Nuncupabantur autem, sive suscipiebantur hæc Vota ineunte Lustrò, i. e. primo Quinquennii Anno: solvebantur illo exeunte, scil. Anno quinto: mox vero nova suscepta sunt. Quod idem de Decennialibus accipe: quæ, uti & Vicennialia, Tricennialia, compendii causa dicta fuerant, ne Lustrorum numerum operosius computare oporteret. Demum & ante occupabantur, scriptumque in Numis: *Votis V. Multis X.* Aut: *Sic. XX. sic XXX.* Agebantur hæc Solemnia Sacrificiis, Ludis, Panegyricis, & Conviviis: quibus non interfuisse, culpæ etiam lethali quandoque dabatur. Triste hujus delicti exemplum *Tacitus* Annal. XVI. c. 22. *Poetum Thraseam*, Senatorium Virum insignem proponit, apud quem inter cætera, ob quæ capite perichitatus est, etiam fuit: „Nuncupationibus Votorum eum „non adesse, quamvis Decemvirali Sacerdotio præditum: nun- „quam pro salute Principis, aut Cœlesti Voce immolavisse.“ *Neronis* nimirum, qui publicis in theatris cantando, adeo claritate suæ vocis insolescebat, ut eam Cœlestem prædicari, pro ejusque Conseruatione Vota fieri voluerit. *Tiberium*, ut habet *Suetonius* cap. 54. etiam æmulatio ussit, quod, Votis pro incolumitate sua susceptis, Pontifices *Neronem* quoque ac *Drusum Cæsares*, *Germanici* filios, Diis commendaverint. Tum vero, ait, æquari *Adlescentes Senecta sue*, impatienter doluit.

X.

Causam Votorum istorum optime tradiderunt Panegyristæ tunc declamantes. Sic *Plinius* ad *Trajanum*: „Solemnia Vota pro „incolumitate tua, qua Salus publica continetur, & suscepimus, & „solvimus, precati Deos, ut velint ea semper solvi, semperque si- „gna i:“ te nimirum diutissime seros usque ad posteros superstite. *Constantino M.* acclamatum fuit: *Constantine Auguste, Deus te servet! Vestra salus, nostra salus.* De ante occupatis Votis ejusdem Augusti sic *Nazarius* in Panegyrico: „Quintum decimum Annum Maximus Prin- „ceps salutaris Imperii degit: sed auguramur jam Vicennialia, & ven- „turi fidem superiorum felicitate sancimus.“ Item de inauguratis ante quinquennium Cæsaribus: „Quinquennialia Beatissimorum Cæ-

XI.

„saram occupatos in gaudiis habent: sed in destinatis *Decenniis* jam
 „Vota properantia, & spes volucres constiterunt. Horum dehinc
 „compotes, propagabimus optabilis boni seriem &c.,,

XII.

Conviviorum luxum, & quæ inde consequeretur, Lætitia
 publicæ colore obvelatam gaudendi licentiam his in Festis, redar-
 guens *Tertullianus* Apologet. cap. 30. simul explicat, quid his Vo-
 tis pro Principe peteretur. „Veræ, inquit, Religionis homines
 „etiam Solemnia Imperatorum, conscientia potius, quam lascivia,
 „celebrant. - - - Precantes sumus semper pro omnibus
 „Imperatoribus, Vitam illis prolixam, Imperium securum, Domum
 „tutam, Exercitus fortes, Senatium fidelem, Populum probum, Or-
 „bem quietum, & quæcunque hominis, ac Cæsaris vota sunt, optan-
 „do.“ Tum ad paganos conversus, eisdem suas ineptias enume-
 rando exprobrat, graviter in sine percontatus: „Hæcine, ait,
 „solemnes dies Principum decent, quæ alios dies non decent?“

XIII.

Quoniam porro hæc Vota festiva celebrabantur, tam recur-
 rente Natali Principum, quam initi Principatus anniversario die,
 quo vel Cæsares renunciati sunt, vel Augusti esse cœperunt: di-
 stinguebatur geminus eorum *Natalis*, nimirum *Vita*, ac *Purpura*.
 Horum uter potior esset, docti contendebant, exiguo tamen ope-
 ræ pretio. *Censorinus* de Die Natal. cap. 3. illum prætulisse vide-
 tur, qui Dignitatem attulit, ajens: *Ille mihi Vitam, hic fructum Vita,*
atque ornamentum peperit. Ast *Claud. Mamertinus* in Genethliac. Ma-
 ximiani diversum sensit, ita declamans: „Illi ipsi dies, quibus Im-
 „perii auspicia sumistis, ob hoc sancti sunt, & religiosi, quod tales
 „declaraverunt Imperatores. Ac certe virtutes, quibus ipsam or-
 „natis Imperium, vestri procreavere Natales.,, In quod & ego
 propendo. Id enim, quod accidit mihi, sine eo, quod substat,
 nihil fuerat.

XIV.

Constantinus M. alique post eum Principes Christiani, hæc
 Votorum Solemnia quidem admiserunt, cum ea in Populo pagano
 tollere illico nequierint: Sacrificia tamen Deorum, qua poterant,
 inhibebant. Postremum, quod addam, est, pro malis Principibus
 æque, ac pro bonis, Vota nuncupata fuisse. Tum vero, quod
 morem receptum, nisi metu maximo, intermittere non liceret: tum,
 quod forte plurimi voventium consimili, tacito autem sensu fuerint,
 quo Anus illa Sicula, pro *Dionysio* tiranno vota suscipiens. Cau-
 sam sciscitantibus, cur id faceret, aperte confessæ est: *Quia si hic ab-*
sumitur

sumtus fuerit, deterior in ejus locum succedet. Ita Valer. Maximus L. VI. c. 2. PUBL. Egregiam rursus in Epitomen constrinxisti, quæ de subsecuturis compluribus Numis, Augusta Vota referentibus, me prænosse oportuit.

DIALOGUS IX.

Numi Vota Salutis pro Principe redhibentes.

TULLIUS.

Primus huc attinens Numus bis pingitur apud *Patinum* in I. Gente *Mescinia* p. 174. semper cum Capite *Augusti* laureato in adversa. Aversa prior est, ut eam delineavi Tab. II. TAB. II. n. 14. Stat nempe Mars nudus, galeatus tamen, cum p- N. XIV. razonio, & hasta, super basin quadratam, sic inscriptam: S. enatus P. opuli Q. ue R. omani V. ota P. ro RED. itu CÆS. aris. In altero autem legitur: S. enatus P. opulus Q. ue R. omanus V. ota S. olvit P. ro S. alute ET RED. itu CÆS. aris. Circum hic scribitur: L. ucius MESCINIUS RUFUS III VIR: nempe Monetalis sub Augusto: cum antea, *Cicerone* Proconsule in Cilicia, ibidem Quæstor fuerit. Ad illustrationem Numi facit locus *Dionis* Libr. LIV. „Ob Redi- „tum ejus, ac propter ea, quæ absens egisset, multa, ac varia, in „honorem ejus decreta sunt, quorum ille nihil accepit, nisi, quod „Fortunæ Reduci Aram consecrari, diemque sui Reditus inter Ferias „referri, & Augustalia dici passus est.,

PUBL. Numus proximus, iterum *Augusti*, forte Clypei vicem II. subiens, alia nulla imagine ornatus, hac duntaxat Inscriptione to- N. XV. tus impletur. J. ovi O. primo M. aximo S. enatus P. opulus Q. ue R. omanus V. ota S. olvit PR. o S. alute IMP. eratoris CÆ. saris Q. uod PER EUM R. es P. ublica IN AMP. liori ATQ. ue TRANQ. uilliori S. tatio E. st. TULL. Belle tu legisti: belle Romani hac Lacohica

Panegyri laudes Cæsaris descripserunt. Sub *Augusto* rem Romanam & amplissimam, & maxime florentem, ac præterea magna parte tranquillam extitisse, non est, ut multis te doceam. Hoc advertas velim, Romanos, quando spatiis Numorum coarctati sunt, usos quidem literis, & syllabis initialibus: aut eisdem vel indicasse formulas perpetuo sibi familiares, & alibi integras positas: vel semper voces quaspiam sic expressisse, ut Lectori erudito reliquarum de sensu facile, tutoque constaret. Unde sententiæ ænigmatica, disjectis literis ita formatæ, ut easdem nemo alius ullo Numi vestigio assequi posset, non parum de veritate periclitari videntur. Exemplo forsitan denuo erit insequens Numus.

III. PUBL. Stat in eo Diana, cum veste succincta, venabulo, & TAB. II. arcu, comite cane. Pone lego: IMP. erator X. cimur: infra: N. XVI. SICIL. ia, ut reor. TULL. Exstat hic Numus apud *Aen. Vicum* Arg. *Aug.* 72. commemoravit vero eundem etiam *Cl. Harduinus* T. I. *Plinian.* p. 161. not. 16. *Siciliam* vero in eodem legi minime vult. Causatur quippe, nihil hic esse imaginis, unde tricipitem hanc Insulam dignoscas, & ne quidem Nomen ejus, quod saltem fieri debuerat, integre scriptum esse. Hanc igitur sententiam separatis literis concepit: S. alus I. mperatoris C. sarris I. talia L. atitia: subjuncta ratione, quod ipse Saluti, ac Valetudini suæ, venatione, quam Diana cum arcu significat, consuluerit. Sed, obsecro, quid est hic, unde Salutem, unde Italiam, unde Latitiam intelligas? *Argelatus* plures Numos cum hac imagine Dianæ stantis, aliquando cum ejus Protome recenset p. 33. & 37. in *Augusto*, ubique cum SICIL. & epochis: Imp. VIII. IX. X. XI. XII. Profecto mirum fuerit, si Princeps iste annis quinque salutem semper venatione curasset. Libentius *Vaillantio* assentiar, qui *Siciliam* hic legit, cumque Cereri dedicata esset, Dianæ quoque devotam, præterea venatione forsitan celebrem fuisse existimat. Aliis in Numis *Hadriani*, & *Antonini Pii* apud *Argelatum* Ceres adstat cum corona spica, aut falce messoria.

IV. PUBL. Doctis calamo, ut militibus gladio, certare libet: quod N. XVII. facile eisdem permittas, modo bilem atramento non substituant. Ego ad sequentem *Tiberii* Numum convertor, quem typo gypseo teneo. Aram in eodem video, in qua lego: SAL. uti AUG. usli. Superponitur laureum Sertum, quod geminæ palmæ decussatim pertranscunt. Pone Aram utrinque sunt literæ: C. I. I. A. quas

a te mihi velim exponi. Circum scribuntur Nomina: M. *arc.* JULIUS SETTAL. L. *ucius* SEST. IUS CELER II. VIR. I. TULL. Exstat hic Numus æris medii apud *Patinum* p. 56. moduli tamen diversi, cumque solis palma ramis, absque lauro, super aram cubantibus. Literas initiales ita legit: C. *olonia* I. *llice* I. *mmunis* A. *ugustæ*. Quæ Urbs Hispaniæ, comprehensa fuit sinu Illicitano, qui hodie *Golfo di Alicante* appellatur, juxta *Harduin.* in *Plinio* Tom. I. p. 140. not. 25.

De Duumviris nihil ibi monet *Patinus*. De *Cestio* tamen constat ex *Ursino* Famil. p. 262. eum fideliter adhæsisse interfecto-
V.
ribus *Julii Cæsaris*, cum primis *Bruto*, cui *Quæstor* erat. Nihilominus tamen ab *Augusto* sic in gratiam receptus fuit, ut eum sibi in Consulatu XI. subrogaret: quamvis nosset, eum etiam tunc imaginem *Bruti* domi venerari. *Palmae* ramos additos volunt, quia, teste *Dione*, prope hanc Aram *Palmae* sunt enatæ. *Argelatus* & hunc, & plures *Coloniæ Illicis* Numos recenset p. 70. cum aliis vero, & aliis ubique Duumviris. *Tiberius* porro crebris undique honoribus affectus est; postquam *Sejanum* e medio sustulit, quem primum habuerat Ministrum, hoc tamen gradu, cum ingenti Populorum onere, & afflictione abusus. Cui testem *Patinus* adhibet marmoream Tabulam ante Templum *Interamnæ* adhuc superstitem, in qua legas:

Saluti perpetuæ Augustæ, Libertatique
 Publicæ Populi Romani - - - Pro-
 videntiæ TIBERII Cæsaris Augusti,
 Nati ad æternitatem Romani Nominis,
 Sublato hoste perniciosissimo &c.

PUBL. Qui hunc excipit, Numus æreus medius *Philippi* Ju- VI.
 nioris, cum elogio Augusti, ex meis est: ubi *Fœmina* stat ante TAB. II.
 Aram, dextra serpentem cibans, qui abinde consurgit, lava gu- N. XVIII.
 bernaculum sustinens navale, impositum orbi. Epigraphe: SA-
 LUS ÆTERNA AUGG. *ustorum*. TULL. Liberales fuerunt Mo-
 netarii cum præconio *Æternitatis* in Numis *Philipporum* apud *Argela-*
tum. Legitur quippe ibidem: *Æternitas*, vel *Æternitati Imperii*:

Æternitas Augustorum : Rome Æternæ : Pax Æterna : Salus Æterna.
 Quam crebram temporum prorogationem eis jucunditas Millennarii Seculi Urbis, quod tunc agebatur, inspirasse videtur.

VII. PUBL. Postremus hujus classis Numus Deam, *Hygeiam* nempe, stantem redhibet, quæ dextra Serpentem gestans, eundem e patera cibatur. Pone: S. C. Circum: OB. CONSERVATIONEM SALUTIS. Vulgaris hic typus est: epigraphe vero præter morem. TULL. Delumsi hunc Numum ex *Electis Rei Num.* Tab. III. n. 3. ubi pertinet ad *Grossei de Bose* Dissertationem de cultu Salutis Deæ. Est *Galliæni*, ab *Argelato* quoque inter argenteos laudatus. Nihil vero eundem de grege Communium extrahit, nisi epigraphe, quam ullo in alio Numo sic occurrere ignoro. Singulares quoque censentur, parem ob causam, alii duo Numi, in quibus legitur: *Salus Antonini Aug.* h. e. *Elagabali*: Item: *Salus Postumi Aug.* quoniam Nomen Imperatoris nullibi alias adjectum. PUBL. Plura novi a multis ut singularia in Numis prædicari, quæ tamen ad rem nihil penitus afferunt momenti. Sed intellectus persæpe plus pascitur curiositate, quam veritate: quod ejusdem dignitati parum admodum congruere arbitror.

DIALOGUS X.

Numi Votis Imperii consignati.

TULLIUS.

I. TAB. III. N. I. **P**reeant Vota communia: qualia sunt in primo Tabulæ III. Numo æreo parvo *Claudii Gothici* apud *Goth. Numar.* p. 361. Ubi vides Palmam arborem, cum affixo Clypeo, in quo S. C. quem sustinent geminæ Victoriæ alatæ. Circum legis: VOTA ORBIS: infra II. Nihil hic exposuit *D. Liebe*, nisi, quod adverterit, hujusmodi Numum, quales in *Gallieno*, & *Valeriano* dudum occurrerunt, in *Claudio* tamen a *Mediobarbo* visum non esse.

esse. Nec eum habet *Argelarus*. Si literæ S. C. in clypeo, ex more, sint legendæ S. *enatus* C. *onsulto*, cum etiam apud mox laudatos Imperatores compareant: non alia hic vota intelligas, nisi Orbis Romani pro Victoriis, tot inter Tirannos, ac barbaras gentes, undique tumultuantes. II. infra scriptum denotare quid velit, haud affequir: nisi monetæ valorem, vel ad mentem *Harduni*, tributî numerum indicaret.

In aliis plurimis diversorum Augustorum Numis, circum perpetuo varias imagines, frequenter legitur: VOTA PUBLICA: quorum causam, finemque, e figuris conjicies. Ut, si Imperator ad Aram sacrificet, intellige, eum pro Incolumitate sua, vel Salute Reipublicæ, tanquam Pontificem Maximum, vota nuncupasse, aut solvisse. Si Pietas conjungat Imperatorum dextras, crede sis, pro eorum Concordia tunc in Vota descensum esse. Si Conjugum sibi mutuo inferat manus, vota nuptialia exhiberi ne dubites. Si fulmen, aut Jupiter, aliusve Deorum compareat, illi vota facta esse doceberis.

PUBL. Perutiliter admones. Nonne vero & proximus Numus æreus minutus *Constantini M.* quem e meis pinxisti, ad vota communia pertinet? Cippum enim redhibet, gemino palmæ ramo, decussatim cubante ornatum, super quem Victoriæ duæ alatæ, clypeum, denuo stipatum palmis, junctim sustinent, in quo: VOT. a P. *opuli* R. *omani*. Circum scribitur: VICTORIÆ LÆTÆ PRINC. *ipsis* PERP. *etua*. Infra: T. SISC. i. e. *Sisiciæ Officina tertia*. In alio ejusdem apud me Numulo, subsignato T. T. Clypeus, cippusque palmis carent, huic tamen Crux patens est insculpta. TULL. Hic falleris: quoniam X. est, vota Decennialia indicans, licet lineolæ rectæ magis, quam decussatæ sint. Prior autem Numus, a me pictus, soluta pro victoriis vota designat.

PUBL. Insequentem Numum oppidò demiror, quem ex ichtiocollo integre formatum typicum teneo. Adversa circum caput radiatum sic habet: IMP. C. *neus* M. *essius* Q. *uintus* TRAJANUS DECIUS AUG. Aversa velut in clypeo laureato sic inscribitur: VOT. *is* III. *bus* AUG. *usli* ET CÆSS. *arum*. Nihil unquam ex te, vel ex alio quolibet de votis tribus inaudii. TULL. Non tibi de votis triennialibus dixi: commemoravi tamen Dialogo superiore, unacum Votis *Vicennialibus* Constantini M.

nun-

II.

III.

TAB. III.

N. II.

IV.

N. III.

nuncupatis, vota *Decennalia* pro Cæsaribus, videl. Crispo, Licinio juniore, & Constantino æque juniore, simul esse suscepta. Non absimiliter itaque factum esse suadet, immo evincit hic Numus tuus, ut simul pro *Decio* Augusto, proque Cæsaribus ab ipso dictis vota nuncupata fuerint, si typus tuus genuino ex ære medio venerit, de quo neque ambigere, neque statuere tuto mihi licet. Erant porro illi *Herennius Etruscus*, & *Hosilianus*: quorum amborum tu Numos, cum titulo Cæsaris tenes, Anno X. a Colonia Viminacio signatos. Ast *Patinus* p. 316. multo rariorem attulit, cum junctis, jugatisque capitibus utriusque, corona radiante cinctis, additisque nominibus: **ETRUSCUS ET QUINTUS CÆSS.** Nam *Hosilianus* etiam appellabatur *Messius Quintus*.

V. Voces proinde *Votis III.* in typo tuo intelligendæ non sunt de tribus annis, quasi Triennalia fuissent: sed de tribus Principibus, pro quibus junctim nuncupata fuerunt. Apud *Argelatum* p. 361. recensetur Numus argenteus, inscriptus C. ajo VIBIO VOLUSIANO CÆS. ari: in cujus Aversa intra Sertum laureum legitur: **VOTIS TRIBUS.** Qui Numus in subjecta nota *Bandurio* dicitur suspectus ob insolitam epigraphen. Additur autem, *Harduinum* vota tria interpretatum esse de tribus Principibus, *Decio*, *Volusiano*, atque *Treboniano*, pro quibus poterant esse suscepta. Verumtamen *Trebonianus Gallus*, qui solummodo Dux exercitus, & limitis *Mœsiæ* fuerat sub *Trajano Decio*, non autem Cæsar, hoc demum occiso, a militibus acclamatus est Augustus. Unde non apparet, quomodo pro *Decio* simul, & ipso, ejusque filio *Volusiano*, vota nuncupari potuerint. Sed hæc operosius discutiant, qui de hujusmodi rite possunt arbitrari: nos vota, omni dubio exempta, cæteris in Numis legamus.

VI. PUBL. Prior eorum apud me æris minimi, est *Crispi* Cæsaris: quem, fato meliore dignum, *Fausla* Novercæ odium, & *Constantini M.* Patris præcox credulitas, morti celeri, ac violentæ tradiderunt. Erectum in eo est militare vexillum, in quo lego: **VOT. is V. MULT. is X.** Pone sunt literæ: S. R. h. e. *salus*, aut *Securitas Reipublicæ*, ad mentem *Joberti*. Circum: **VIRTUS EXERCITUS.** Infra: B. SISC. *ie Officina II.* Fortis, bellique peritissimus, ac lauris dives, juvenis hic Princeps inclaruerat. **TULL.** Tenes hic unum ex iis Numis, quibus, ut mox ante commemoraveram, ejusdem *Decennalia* vota ante occupata fue-

runt.

runt. PUBL. Qui sequitur Numus, denuo meus, & æris parvi TAB. III.
 subferrati, quod non adeo frequens esse puto, est Antonini Pii, N. V.
 intra Sertum laureum ita inscriptus: PRIMI DECENNALES.
 COS. IV. Solutos hos reputo. TULL. Haud falleris.

PUBL. Succedentes tres Numos meos æris mediï, unius ve- VII.
 ro *M. Aurelii*, junctim enarro. Primus ipsum velatum, ac lau- N. VI.
 reatum, cum lauri, aut oleæ ramo stantem sistit ad aram arden-
 tem, in qua libat. Epigraphe: VOT. a SOL. ut DECEN-
 NALIUM. COS. III. Infra: S. C. Alter Jovem, Aquilæ infi- N. VII.
 stentem, cum fulmine, sceptroque exhibet. Circum est: PRI-
 MIS X. MULT. is XX. Infra: S. C. Jovi nuncupata hæc vota,
 ex ejus imagine intelligo. Tertius *M. Aurelium* denuo laureatum, N. VIII.
 velatumque refert, militari cum sceptro stantem, ac libantem in
 ara. Lemma: VOT. a SUSCEPTA XX. Voces hujusmodi,
 nonnullis in Numis magno nostro commodo integræ, dubitare
 neminem sinunt de recta earum lectione, dum in aliis compen-
 dio scriptæ sunt. TULL. Probe advertis. Porro de Annis Chri-
 sti, quibus hæc talia vota singulos apud Imperatores vere demum
 facta sint, per ardua sæpe, & vehemens est inter doctos, cla-
 rosque viros contentio: quamvis, post *Mediobarbam*, & *Oconem*,
 novissime *Argelatus* Numos quorumlibet suis annis rite assignare
 plurimum studuerit. Et fateor equidem, principem fere fructum
 in tractatione Numorum in Epochis inde firmatis consistere. Ve-
 rumtamen difficiles de iisdem quæstiones ante tyronem agitandæ
 non videntur: donec robustior ingenio, & cognitione, ac lectio-
 ne factus, ipsemet vires possideat, easdem cum studio excu-
 tiendi.

PUBL. Qui hos excipit, Numus mihi peregrinus, Victo- VIII.
 riam ostendit alatum, quæ Tropheum humero gestans, & super TAB. III.
 hostem quempiam devictum, nudum, vittatum tamen, & ambo N. IX.
 brachia super caput jactantem, gradiens, clypeum tenet, in
 quo: VOT. is XXV. Lævum ad pedem jacet scutum hostis ab-
 jectum, cum hasta. Circum epigraphe nulla. TULL. Aureus
 est hic Numus *Constantii* Augusti, filii *Constantini Magni*, lau-
 datus ab *Argelato* p. 492. crediturque *Vetranio* Tirannus hic jacere,
 eo anno, forte Christi 350. abdicare coactus, quo Imperator iste
 lustrum quintum celebrabat. Non multum ab similibus ibidem com-

memoratur æreus Numus : ubi vota intra lauream descripta sunt coronam, quam victoria, loco clypei, tenet.

IX. PUBL. Merito igitur huic Numo socius est alter, apud me
N. X. argenteus, ejusdem Augusti, pariter cum grandi sermo laureo,
& Inscriptione : VOT. is XXV. MULT. is XXX. TULL. Et
hunc indicavit *Argelatus*. PUBL. Proximus apud te cippum ha-

N. XI. bet altum, ac rotundum, imposito orbe. Inscriptio est : XX.
XXX. MUL. ta FEL. icia : pone : B. eata T. tranquillitas. Cir-
cum : GAUDIUM POPULI ROMANI. Infra : TESS. alonice
A. i. e. *Officina prima*. Aereus hic numulus *Constantini M.* mea ti-
bi e supellectile placuit : cum quo & subsequens, ignotus vero

N. XII. mihi, belle conspirat. Duæ namque in eo victoriæ parvæ Tabu-
lam quadratam altam, ac oblongam tenent, in qua lego : SIC.
XX. SIC. XXX. Circum scribitur : GAUDETE ROMANI.
Infra : AQ. uileie : vel AQ. uis, juxta *Harduinum*. TULL. Aureus
hic Numus *Maximiani Herculei* est apud *Goth. Numar.* p. 444. Utroque
porro publica lætitia, qualis vota pro Principe decet, diserte in-
dicatur. Cæterum hætenus allati Numi omnes eodem sunt qui-
dem argumento, votorum bajuli : quos tamen imaginum, ac nu-
merorum varietas, quam diversos reddit, tam etiam efficit gra-
tos. Superest vero adhuc rarissimus, & elegantissimus aureus
Constantii Numus didrachmalis, ex *Goth. Num.* p. 84. a me sele-
ctus : quem recense.

X. PUBL. Similis est hic Numus alteri æque aureo, a te picto
TAB. III. Tab. I. n. 14. Rursum enim hic confident utraque Roma, Ve-
N. XIII. tus ac Nova, seu Constantinopolis, illa galeata, hæc turrata,
pedem proræ navis imponens : ambæ vero simul clypeum, pal-
mis ornatum, in alto sustinent, ita inscriptum : VOT. is XXXV.
MUL. is XXXX. Epigraphe circum : GLORIA REIPUBLI-
CÆ. Infra : M. SIR. mic. TULL. Votorum pro Principe edi-
torum extremus hic limes est, ultra quem nullus Numorum pro-
gressus esse hucusque dignoscitur, forte eundem nec attigisse.
Argelatus VOT. XXX. MULT. XXXX. solummodo in *Theodosio*
juniore, & *Valentiniano III.* laudat. Septima hæc Quinquennalia
Constantius egit Romæ, Consulatus sui anno nono, Chr. 357.
Quæ tamen eo ab anno computanda sunt, quo Cæsar evasit : ex
quo enim Patri defuncto succedens, Augustus est factus, Vicen-
nalia duntaxat effluerant.

PUBL.

PUBL. Vehementer lætor tot elegantibus, perque gradus
 ascendentibus votorum typis: quorum exemplo facile quoslibet
 alios, cum forte occurrerint, intelligam. TULL. Advertas ta-
 men velim, hæc vota pro Principe, proque Natali Purpuræ, se-
 ro Numis inscripta fuisse: quamvis ab *Augusto* caperint, & sub
 eo, ac Successoribus, diligenter edita fuerint, Scriptorum testi-
 monio. Certe apud *Argelatum* nullum hujusmodi Numum ante
Antoninum Pium reperio: nisi *Quinquennalia Neronis* certamina,
 aut *Ludos Domitiani* huc traxeris. Quæ vero hoc argumentum
 non produunt. Nunc porro superest nobis caput IV. Officiosa-
 rum Gratulationum, varia occasione factarum, XI.

DIALOGUS XI.

Novi Anni, & Sæculi Gratulationes.

PUBLIUS.

Numorum a te pictorum, qui nobis residui sunt, duo dun-
 taxat pertenuè cimelium meum exornant. TULL. Opor-
 tuit & in hoc genere Officiorum, quæ Populi nomine
 Principibus quandoque impensa sunt, alia aliquot adhuc
 Exempla non inelegantia, in tui gratiam, & eruditionem, aliun-
 de a me conquiri. PUBL. Primus eorum intra Sertum laureum
 hanc continet Inscriptionem: S. P. Q. R. A. N. F. F. OPTI-
 MO PRINCIPI PIO. S. C. Hic Oedipum te rogo. TULL.
Joberto teste, docti quoque Antiquarii ad consimilem *Hadriani* nu-
 mum, qui hujus exemplum erat, sola voce *Pio* prætermissa, diu-
 tius adhæserunt, donec legendum statuerint, verosimillime præ-
 cunte *Harduino*: S. enat. P. op. Q. ue R. oman. A. num N. ovum
 F. ausum F. elicem OPTIMO PRINCIPI S. enat. C. onfulto. Præ-
 sentem *Pii* Numum *Argelatus* p. 192. æreum laudat. I.

II. PUBL. Haud admodum ego miror hanc Gratulationem, immo peregrinum existimarem, si ea nunquam in Numis occurreret. Novi enim, quanta Calendis Januarii apud Romanos fuerit contentio, saluberrima, & optima quæque, mutuo sibi formulis exquisitis favendi. Nihil amplius curabant, quam ut bono illo die bona quoque verba sonarent, nihilque sinistri ominis diceretur, aut fieret. Cecinit quippe de eodem *Ovidius Fastor. I.* velut ex ore Jani:

Omina Principiis, inquit, inesse solent.
 Tempa patent, auresque Deum, nec lingua caducas
 Concipit ulla preces, dictaque pondus habent.

Initium igitur Anni, quod quisque sibi, & amicis faustum voluerat, & efficere studuit, cur non etiam Principi Populus universus felix fastumque Officio publico, tabulisque Numariis, quæ propriæ Principum erant, acclamasset? TULL. Recte arguis. At non omnia, quæ acta sunt, continuo etiam Numis inferebantur.

III. PUBL. Proximo græco in Numo nihil sapio. TULL. Idem
 TAB. III. forte in Votum is cum priore conspirat, estquæ argenteus didrach-
 N. XV. malis *Domitiani* apud *Goth. Numar. p. 367.* In *Aversa* stat Jupiter stolatus cum patera, & hasta, cui *Aquila* insidet. Epigraphe: ΕΤΟΥ Ε ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Θ: i. e. ut verosimillime credit *D. Liebc: ANNO NOVOSACRO N. ono.* Sunt, qui hos Numos, variis cum epochis A. B. F. &c. notatos, & sub *Vespasiano, Tito, Domitiano, ac Nerva* editos, putant a *Judæis* cûs didrachmali pondere, tanquam Numismata census, quem, capta *Hierosolyma*, destructoque Templo suo, quotannis *Jovi Capitolino* solvere tenebantur: donec *Nerva Imp.* hanc *Fisci Judaici* calumniam sustulerit. Sed si relegas ea, quæ *Part. II. Dial. XVI. n. 5. sqq.* tibi dixi, doceberis, *Nervam* non sustulisse hunc census, sed solummodo calumniam in eo exigendo, & extorquendo etiam ab iis, qui ex levissima duntaxat suspitione *Judæi* viderentur, inhibuisse.

IV. Præterea nullo legitimo documento, vel testimonio constat, *Judæis* imperatum fuisse, ut pro *Censu* isto peculiare Numos hac forma signarent. Ergo nihil est fere, quod minus credas, quam eos ultro fictum *Jovem Monetæ suæ* intulisse: cum census indi-
 ctum

Atum denariis Romanis currentibus facile solvere potuerint. Cui accedit, in aliis consimilibus Numis apparere solam Aquilam, vel Deæ Cypridis templum. Id, quod Cl. *Harduino* ansam dedit, hos Numos Cyprios credendi: quam Urbem *Domitiano* Annum Novum pari devotione, qua Romani *Hadriano*, & *Antonino*, gratulatam esse vult, vocemque IEPOY interpretatur *Augusti*, juxta id *Ovidi*:

Sancta vocant *Augusta* Patres.

Ast *Henr. Valesius*, ad stipulantibus *Noristo*, *Vaillantio*, *Liebo*, legit *Anno novo Sacro*, i. e. frugifero, vel alia ratione auspicato, & salutaris. In quo interea etiam tu acquiescas.

PUBL. Ulterior *Hadriani* Numus æreus medius obtigit mihi: in quo laureato ejusdem Capiti prolixior solito titulus additur: IMP. CÆS. TRAJAN. HADRIANUS AUG. In Aversa sequitur: P. ont. M. ax. TR. P. COS. III. Medium tenet Orbis grandis ovalis, intra quem stat ipse paludatus, hastam dextra sustinens, lava orbem gestans, cui Phœnix insidet capite radiante. Subscribitur: SÆC. ulum AUR. cum. TULL. Haud obvius est hic Numus, quem in ære mihi nemo laudavit. Aureum autem illum, & Bistaterem, exhibet *Gotha Numar.* p. 443. ac semel, iterumque recensuit *Argelatus*. In aureo hasta non apparet, neque caput volucris radios monstrat, orbe hæc obtegente: unde *Libeo*, aut verius *Morellio*, Jupiter hic consistere visus est. In volucre dubium fuit, Phœnix, quod magis probat, an Aquila sit, vel forsitan Ibis. Numus vero tuus Imperatorem cultu vere Romano, item hastam, ac radios luculente ostendit. Orbis ovalis Temporis perpetuo decurrentis, & semper in seipsum revoluti, symbolum est. Sæculum non definite hic accipias pro centum annorum periodo, sed indefinite pro quolibet spatio temporis currentis, ad sensum *Tertulliani* Apologet c. 26. ubi de Deo conditore loquens, ante omne tempus existente, *Sæculum*, inquit, *corpus Temporum fecit*. Aureum cur dicatur, optime exposuisse videtur *Seneca* Ep. CXV. dum scribebat: *Quod optimum videri volunt, Aureum dicunt.*

PUBL. Dum sic: *Hadrianus* multis certe modis Aureum condidisse Sæculum prædicari poterat. Recordor quippe Numorum ejus, quos mihi pinxeras *Part. II.* & ibidem exposueras *Dial. XV.*

In quibus non modo fere perpetua ejusdem Liberalitas, qua Populo Congiaria, militibus Donativa distribuit, elogium *Locupletatoris Orbis Terrarum* eidem peperit: verum etiam docetur, eum *Reliqua Vetera*, nimirum *Debita Sestertium novies Millies abolevisse*, *lchedis obligantibus publico in foro concrematis*. Præterea, cum *Trajanus* Imperator, cujus adoptione Filius erat, *Victoriis* perpetuis Orbem Romanum sic ampliasset, & extendisset, ut ab eo parta tueri Roma, & retinere non posset: ipse, bellorum parcus, quod per *Victorias* præstare omisit, *Beneficiis* compensavit, *lustratoque Imperio* prope universo, ubique gentium æquum justumque rerum ordinem restituere adlaboravit. Quocirca unus ipse, ut scribunt, per omnes Provincias tot Statuas accepit, quantæ multis junctim antecedentium Imperatorum positæ non fuerunt. TULL. Potuerat igitur eundem *Lambridius*, tantæ Beneficientiæ causa, rectius longe, ac *Dioscletianum* in *Elagab. cap. ult. Aurei Parentem Seculi* prædicare: nec plane immerito de eo cecinisset *Porphyrius Optatianus* in *Panegyrico de Constant. M.*

Aurea perpetuo restaurans Sacula Mundo.

VII. PUBL. Numus denuo meus æreus parvus, qui sequitur, *Gratiani* etiamnum nos in consideratione Sæculi detinet. Adversæ ejus TAB. III. N. XVII. Capiti diademato hoc prope insolens præconium addit: D. ominus N. offer GRATIANUS AUGG. usorum AUG. usus. In Aversa stat ipse poludatus, dextra labarum sustinens cum Christi Monogrammate græco, læva pone pedes clypeum tenens. Pone a dextris ejus est litera M. Circum: GLORIA NOVI SÆCULI: infra: A. CON. i. e. *Officina I. Constantinopoli*. De hoc quid me Doces? TULL. Vtriusque faciei epigraphe Doctissimis Numerum Criticis plures paginas extorsit. Quod vel in *Electis Rei Numar.* videre possis: ubi a p. 308. usque 335. occurrunt Expositiones Numi hujus D. *Gotthardi Guilielmi Leibnitii*, qui maxime Cl. *Harduinum* impugnat: Item Cl. *Gallindi*, atque *Anonymorum* duorum. Ubi etiam Tab. V. n. 6. tres aliquantulum diversa imagines dicti Numi existunt.

VIII. Difficultas prima est in præconio AUGG. AUG. quod legi oportere *Augustorum Augustus*, cum id apud nullum cæterorum omnium Imperatorum hæctenus occurrerit, nonnulli sic abhornerunt,

ut

ut in alia potius omnia discedendum esse arbitrarentur. Prima *Morellio* ferè probata sententia fuit, legendum esse AUGG. *ustri* AUG. *ustri*: videlicet *Gratianus*, & *Valens*, re Augusti, ac imperantes, & *Valentinianus* junior, puer quinquennis, nomine duntaxat Augustus. Pro qua opinione multum peroravit *Spanhemius* II. p. 381. sq. Sed nimium absone cohæreret hoc pacto epigraphe tota, nulloque bono sensu legeretur *D. N. Gratianus Augusti Augustus*.

Cl. *Harduinus* opinabatur, duo G. dividenda esse, legendumque: AUG. *ustri* G. *ener* AUG. *ustri*. Ac proinde solo hujus lectionis, quam ipse cogitavit, argumento statuit geminos *Gratianos*: quorum Junior Senioris duxerit Filiam, quam insigni Victoria promeruerit, unacum Augusti elogio. Ideo quippe in *Aversa Numi* stare ait Victorem, qui captivum secum trahit: cujusmodi typum ipse vidit. Parem ergo hanc lectionem vult esse illi, qua scriptum est: *Tiberius Divi Augusti Filius Augustus*. Contra vero *Leibnitius* opponit: quando *Gener* legi deberet, ipsum potius *Gratianum* intelligendum fore, qui *Constantii* Imp. uxorem viduam prægnantem *Fauslinam* in thorum acceperat, ac proinde hoc pacto se Familæ *Constantiniana* sanguine innexum gloriatus fuisset. Quemadmodum autem nullum, ait, habemus exemplum Imperatoris, qui se dixerit *Augustorum Augustum*, ita nullum est pariter ullius, qui *Generum Augusti* se prædicaverit. Unde, infert, hac lectione non tollitur insolentia, quam fugere animus erat: immo major incurritur, altero *Gratiano* mere in gratiam ficto.

Anonymorum unum litera G. posterior deduxit ad vocem *Genitus*, ut legendum forsitan esse suspicaretur: *D. N. Gratianus Augusto Genitus Augustus*: id porro distinctionis, & prælationis causa, respectu *Valentis* Patruis sui Augusti, qui solummodo adoptatus, non vero natus Augustus erat. Attamen cum *Valens* esset Senior, & aliquot annorum prior Augustus, prælationi locus decens non fuisse viderur. Alteri alicui præplacuit vox *Germanus*, ac visum est, hæsitacione vix ulla legi posse: *Augustus Germanus Augusti*, scil. *Valentiniani II.* sui Fratris junioris. Ambarum autem harum vocum inferendarum nulla solida est ratio: quamvis, qua ratione tam *Gener*, quam *Germanus*, itemque *Genitus* potuisset scribi, *Spanhemius* ingenii, & eruditionis promendæ causa, tanquam problematice ostenderit,

XI. Cum vero certum sit ex Historia, *Gratianum*, quam diu Augustus erat, semper duobus aliis Augustis convixisse: quocirca in quibusdam ejusdem Numis legitur: **CONCORDIA AUGG. ustorum**, nempe *trium*: hoc ante omnia expensione dignum existimem. Primum quidem *Gratianus* fuit Augustus cum Patre *Valentiniani I.* & hujus Fratrem *Valente*. Defuncto Patre Socium sibi adlegit *Valentinianum* juniorem Fratrem suum. *Valente* Patruo mortuo, iterum in consortium imperii assumpsit *Theodosium*, quem postea Magnum dixerunt. Hos ambos posteriores cum ipse *Augustus* dixerit, recte prædicabatur *Augustorum Augustus*, eo fere titulo, ac jure, & sensu, quo *Diocletianus*, & *Maximianus*, etiam abdicato Imperio, honoris causa, laudabantur in Numis, quos & ipse tenes, *Fortissimi*, aut *Beatissimi Seniores Augusti*. Poterat *Gratianus* æque scribi *Senior Augustus*: quo tamen pacto descriptum non fuisset *trium Augustorum* simul imperantium Collegium.

XII. PUBL. Riderent, puto, quodque præfiscine dixerim, & jucundarentur magnopere Artifices horum Numorum, si nossent, quantum hodiernis Ingeniis negotium hæc vocula faceffant. Audiam, de Aversa quomodo tricentur. TULL. Novum eosdem Sæculum exercet: quale sub *Gratiano* inchoasse, nullo temporum computo, vel quarumlibet epocharum examine deprehenderunt. *Leibnitius* proluxe remonstrare conatus est, hanc vocem *sæculum*, etiam, si definite pro certa periodo annorum eam sumere placuerit, incerti numeri esse. Nam, teste *Censorino* de Die Natali c. 17. vetustissimis temporibus Urbes primum a sua Fundatione Sæculum numerare solebant ab ætate primi Civis, qui cum exordio Civitatis natus, omnium postea diutissime provixisset. Quo defuncto inchoarunt Sæculum alterum a novo parvulo, ac postea graviter consenescente Cive, ac si deinceps. Et hoc tanta cum superstitione, ut, si quando hæc memoria lapsu temporum confusa fieret, ipsos Deos portentis, ac prodigiis justum Sæculorum calculum ostendisse sibi persuaderent. Quo pacto Sæculum *naturale*, quod unius hominis longævi ætate, ac memoria definitur, factum est Regula *Sæculi Civilis*, unanimi consensu statuta.

XIII. Romæ in hac parte Oraculum fuere Libri, dicti *Sibyllini*, Centum annos in Sæculum definientes. Quos tamen cum Decemviri debito tempore inspicere neglexissent, socordix obvelanda causa mentiti sunt, Centum decem annos his in Libris deinceps

ceps cuilibet Sæculo assignatos esse. Unde postea Sæculares Ludi pluribus ab Imperatoribus spatio, & intervallo tam inæquali celebrantur. At nihil ad hunc Numum refert cognitio ista: cum certissime constet, *Gratianum* nullos penitus Ludos ejusmodi Sæculares egisse. In hoc igitur præsens est nodus, unde, ac quo demum ex capite, *Gloria Novi Sæculi*, sub ipso enata, his in Numis prædicari potuerit? Qui nimia cum Religione premunt voculam *Novi*, recens ejus factum quærunt, adeo gloriosum, ut Sæculo ejus novam epocham dare promeruerit.

Hinc Anonymus quidam ex ante laudatis observans, omnes post XIV.
Constantini M. Familiam intermedios Imperatores, *Julianum*, *Jovianum*, *Valentem*, improles decessisse, solum autem *Valentinianum* in filios, *Gratianum*, ac *Valentinianum* juniorem, propagasse Purpuram Augustam: credidit, novam hanc Stirpem Imperii suffecisse in *Gloriam Novi Sæculi*, *Gratiano* acclamandam. *Triflanus*, & *Begerus*, *Labarum*, Christi Monogrammate signatum, in dextra Imperatoris cernentes, Religionem cogitabant, existimantes, *Novi Sæculi* Christiani *Gloriam* cum exultatione hic laudari, quo Fides, jam nemine adverso, undique triumpharet. Atque huic sententiæ nihil opponendum, asserit *Jobertus* p. m. 487. Obest attramen, eam Labaro Christiano non stabiliri, vel evinci, cum hoc in aliis pluribus Numis, etiam aliorum Imperatorum, sane non hoc sensu compareat. Certius igitur est, *Gloriam Novi Sæculi* pari præconio hic adscriptam esse, ac alibi legitur: *Felix Temporum Reparatio*: nimirum ob novam, ac meliorem rerum faciem, ex insigni aliqua victoria, quales plures consecutus est *Gratianus*, sive partam, sive speratam. Sed æquo fere diutius fuimus in hoc Numo: quare cæteros alteri Sermoni reservemus.

DIALOGUS XII.

Residua Gratulationum in Numis
Exempla.

P U B L I U S.

I.
TAB. III.
N. XVIII.

Numus XVIII. obscurior est mihi, quam ut eum recensere præsumam. TULL. Æreus parvus est *Neronis*, Corinthi cufus, editus *Goth. Num.* p. 419. in Adversa cum ejusdem Capite laureato, ac titulo: NERO CÆSAR AUG. IMP. In Aversa, exponente D. *Liebe*, Statua comparet ejusdem togata, elata dextra. Pone scribitur: ADV. entus CO. rinthi AUG. *usti*. Circum: - - (quod supplendum P. ublio: MEM. mio CLEANDRO II. viro QUINQ. uennali COR. inthi. Gratulatur hic Numus *Neroni* Adventum felicem, & quidem Navalem: nam alius ibidem Numus in Aversa triremem exhibet. Neque nova est hæc adventus fausti acclamatio. *Argelatus* quippe facile centum cum simili epigraphe Numos diversis, multisque sub Imperatoribus recenset.

II.

Causa vero Adventus *Neroniani* peculiaris fuit. Dum etenim cæteri fere omnes procederent in bellum, collecturi ex hostibus Victorias, aut benefaciendi gratia optati advenirent: *Nero* e converso, quemadmodum *Dio Cassius* Libr. LXIII. post *Suetonium* ridet, advenit in Græciam, ut currus agitarer, cythara caneret, præconis officio fungeretur, & tragædias ageret. Non igitur Lauros, Martio sudore tinctos, sed Gymnicas, & Agonales Ludorum Græcorum Coronas ambiebat. Attamen & sic æquum dignumque Urbibus illis argumentum Gratulationum de Adventu suo plerumque ubertim præbebat. Aderat namque, ut Imperator, ac Princeps, cui expeditum fuit, conferta utraque manu, dum liberet, pro flaccidis exapio, aliaque herba coronis, Libertates, Immunitates, Privilegia munificentissime indulgere. PUBL. Roma certe, dum his e victoriis redux adveniret, detestandi potius, quam gratulandi copiam

copiam nacta est: licet eundem cum omni officiorum, plaususque genere excipere, metu capitis cogeretur. De quo tu mihi alias Part. II. Dial. XVIII. n. 7. uberius dixeras.

TULL. Superest adhuc gratulandi titulus, Processus III. nimirum Consularis, quem postremi duo Numi tibi pandunt. PUBL. Prior eorum in curru, quatuor elephantibus tracto, Virum TAB. III. togatum stantem exhibet, utraque manu versus Victoriam advo- N. XIX. lantem extenta, quæ laurum eidem offert, ac palmam. Epigra- & XX. phe: FEL. ix PROCES. *fus COS. ulis AUG. usi.* Posterior Virum togatum stantem sistit, cum patera, sceptroque militari. Circum lego: FELIX PROCESSUS COS. *ulis VI. tum AUG. usi N. ostris.* TULL. Ambos excepi ex Ill. *Spanhemio* Tom. II. p. 457. qui soli, ut ille ait, hætenus visi sunt indices Consularis Imperatorum Processus. Horum unum duntaxat, ac nullos præterea alios, *Argelatus* commemorat.

Primus est *Maxentii*, cumque veluti triumphantem eum in curru, & a Victoria coronatum exhibeat, simul & Processum ejus Consularem IV. ^{um} simulque actum de *Alexandro*, quem biennio ante in Africa debellaverat, Triumphum commonstrat, sed felicitate tam infida, ut eo ipso anno a *Constantino M.* superatus, Imperio cum vita exciderit. Alter hujus ipsius *Maxentiani* Triumphatoris, nempe *Constantini* per Crucem Victoris est, multo modestior, nihilque triumphalis pompæ commonstrans. PUBL. Memini probe Solemnum Consularium, quæ mihi jam in *Exercit. Proam.* Dial. XIX. n. 13. insinuaveras, quamque frequenti processione, & ingenti gratulantium studio, sparsisque Missilibus in populum, Calendis Januarii acta fuerint, omni Roma exultante. TULL. Hic mihi ex Viro Illustri, ex quo Numos hos excepi, paulo amplius, cum primis de Consulatu Augusto, erudiendus es.

Principio noveris, hujus Pompæ, quæ sub Imperatoribus, dum eam ipsi susciperent, immensum est aucta, propria Nomina fuisse, procedere, atque Processus. Nec soli Consules, dudum antea designati, cum Dignitatem actu inirent, verum etiam cæteri Magistratus majores, ut Prætores, Ædiles Curules, procedebant iis ipsis Januarii Calendis: soli autem Quæstores Nonis Decembris, vetustum juxta Commentatorem in *Cicronis Verrinas.* Dum porro Consulatus in veteri Republica duobus in Collegis annuus fuerat, hoc munus, ad Imperatores translatum, varias temporum su-

biit vices. Potestas quidem ejusdem, vere suprema, perpetuo apud hos Monarchas fuit, quibus presentibus contraire decreto summi discriminis erat: quo forte applicari queat illud *Justiniani* Novell. CV. c. 2. *Imperatori quidam jugis & indefinens Consulatus tribuitur.* Nomen autem, & figuram quandam externam Consulatum, cum publico splendore trabæ, statim ipsi temporibus iniierunt: cum primis, dum Cæsares, vel Augusti fierent: dum Quinquennalia, vel Decennalia, sive Sæcularia, aut alia Sacra publica agerent; dum susciperent militares expeditiones, vicissent insigniter, vel triumpharent: dum Cæsares novos crearent, aut eisdem, honoris causa, Collegæ muneris fieri vellent.

VI.

Initum autem quacunquē opportunitate Consulatum vix unquam integro anno gesserunt: licet hæc Dignitas *Jul. Casari* decreta fuerit in Decennium, *Augusto* Consularis Potestas perpetuo permitteretur, *Neroni*, ac *Domitiano*, continui Consulatus oblatis sint, alii vero omnes, quandocunquē sibi placuerat, designari debuerint. Ut enim pluribus in hoc Subsellio locus fieret, & horum Virtus, ac Merita remunerari possent, illorum autem inquietæ ambitioni non nihil velificaretur: Cæsares, ac Imperatores, plerumque tertio, persæpe jam altero, subinde quoque dimidio mense immo nonnunquam post aliquos mox dies, homines quosdam privatos hac in dignitate sibi subrogabant, & his paulo post alios iterum, aliosque, tanto demum numero, ut, *Lampridio* fidem faciente in *Commodo* c. 6. sub hoc Imperatore *primum viginti quinque Consules in unum annum* scriberentur. Subrogati porro omnes dicebantur *Suffecti*.

VII.

Originem *Suffectio* cœpit, si *Dioni* credamus *Libr. XLIII. a Julio Casare.* Hic namque, dum Decennalem Consulatum, indultum sibi, absens iniisset, Urbem deinde ingressus, brevi ultro deposuit, aliis duobus Consulibus creatis: quorum unus cum ultimo sui Consulatus die defunctus esset, e vestigio alterum in residuas duntaxat horas ejus diei subrogavit. De *Caligula* Imperatore *Suetonius* c. 17. „Consulatus quatuor gessit. Primum ex Kal. „lend. Julii per duos menses: secundum ex Kal. Januarii per tri- „ginta dies: tertium usque in Idus Januarii, nempe diebus tredecim: quartum usque in VII. Idus easdem, diebus tantummodo „sex.„ Continuos vero Consulatus, *Neroni*, ac *Domitiano* decretos quidem, nominatenus tamen solummodo ab eis, non reipsa gestos,

ita

ita suggillavit *Plinius* in Panegy. *Trajani*. „Non te, inquit, ad exemplar ejus voco, qui continuis Consulatus fecerat longum, quemdam, & sine discrimine Annum. - - - Miseros ambitionis, qui ita Consules semper, ut semper Principes erant., In quo forte ambitionem alienam ambitione sua majore corripuit.

De Pompa Consulari Divus *Hieronymus* Epist. 20. ad Marcellam jocatus videtur, ajens de Consule quodam prætextato, si ve puero: „Qui, quasi de subiectis hostibus triumpharet, Capitolas ascendit Arces: quem plausu quodam, ut tripudio, Populus Romanus excepit., *Ammian. Marcellinus* L. XXV. c. 10. etiam de infante Consule testis est, scribens de *Joviano Imp.* „Et cum introisset Ancyram Imperator, paratis ad pompam pro tempore necessariis, Consulatum inivit, adhibito in societatem *Trajanæ Varroniano* filiolo suo admodum parvulo: cujus vagitus, pertinaciter reluctantis, ne in curuli Sella veheretur ex more, id, quod mox accidit, portendebat, nempe, ut paulo post in accessu Romæ subiter emoreretur. De hoc infante *Themistius* Orat. ad Patr. ajebat: *Qui in ulnis adhuc geritur Consul.*

Auctoritatem e converso huic Pompæ conciliat, quod ipsi subinde Imperatores, dum privati Consules procederent, eorum comites egerint. Ita in Consulatu *Fl. Mamertini*, & *Fl. Nevite*, factum esse a *Juliano* Apostata, tum iterum *Ammianus* narrat Libr. XXII. tum ipse *Mamertinus* in Panegy. *Juliani* gratus confitebatur, dicens. „Pene intra ipsas Domus Palatinæ valvas Lecticas Consulares jussit inferri: & quum honori ejus, venerationique cedentes, Sedile illud Dignitatis amplissimæ recusarem, suis nos prope manibus impositos, mixtus agmini Togatorum, præire cepit pedes, gradum moderans pene ad Licitoris nutum, & Viatoris imperium., Quod vero, ut *Ammianus* habet, laudabant alii: quidam ut affectatum, & vile carpebant.

Unicum adhuc, quod te commoneam, superest. Suffectis nimirum e Consulibus *Cl. Harduinus* in opinionem venit penitus novam, contra omnes. Tradere namque ausus est, & quod ipse forte non credidit, jactare tamen in publicum, saltem ingenii causa voluit, duplicis videlicet generis Consulatum Romæ fuisse. *Urbis* unum, qui fuerit semper apud duos: alterum *Orbis*, nempe Romani, qui apud unum semper extiterit. Atque hunc solum posteriorem in omnium Imperatorum Numis legi, priorem nequa-

quam. Unde ulterius intulit, Augustos quoslibet nihil aliud re-
vera fuisse, quam Consules, Orbi datos a Republica cum Potesta-
te Civili: quemadmodum Imperatores erant ob solam Potesta-
tem Belli. Semper proinde Rempublicam perstitisse, ac floruisse.

XI.

Nititur in hoc Asserto autoritate Scriptoris *Macchabei*, dum
Libr. I. c. 8. Rempublicam Romanam describens, versu 16.
ait. „Et committunt *uni homini* Magistratum suum, per singulos
„annos dominari universæ Terræ, & omnes obediunt *uni*, & non
„est invidia, neque Zelus inter eos.,, Premit hic voculam *uni*,
adducto in confirmationem versu 16. Captis XVti, ubi affertur
Epistola Romanorum hoc initio: *Lucius Consul Romanorum*. Arie-
tem admovet, contendens, unico Scriptori sacro veteres, ac pro-
fanos alios omnes cedere debere.

XII.


Ast hætenus minime impetravit, ut hanc in sententiam
omnes concedant: forte concedit nemo nullus. Laudatus quippe
Scriptor ibidem nequaquam sensum suum asserendo aperuit, sed
Judam duntaxat *Macchabeum* loquentem induxit, Romanorum
potentiam, victorias, & Regimen Politicum, prout hæc fama vul-
gante acceperat, coram suis prædicantem, ut eos ad Societatem
illorum quærendam prolliceret. *Et audivit Judas*, inquit, *Nomen*
Romanorum &c. Ad quæ *Tirinus* in Commentariis notavit: „Non
„erat necesse, ut omnia narrata reipsa vera essent: sed ad com-
„movendum *Judam* sufficiebat constans fama.,, Quis credat,
non fuisse invidiam, neque Zelum inter eos? Et esto, vera essent
ad omnem literam, quæ ibi scribuntur, statum tamen Reipublicæ
referunt, qualis toto sesquicæculo ante Christum fuerat, non
qualis Augustorum temporibus evasit. Quod unus Consulium
epistolam exaraverit ad *Ptolemeum Ægypti Regem*, nondum
probat, eum solum in hoc Magistratu effulisse. Potuit enim alter
Consulium in Castris versari, aut alia de causa tunc absens fuisse.


XIII.

Sed satis de hoc alii. Tibi commemorare saltem id volui, quia perti-
net jam ad cognitionem Numorum Veterum: in qua Sæculum nostrum sem-
per parturit aliquid novi, ita ut, si Roma vetus e cineribus cum Phœnice surge-
ret, se ipsam in ære proprio vix amplius reperiret. PUBL. Accipio singula,
his iterum in Dialogis perutiliter mihi exposita, cum omni humanitatis officio,
& solutis Deo votis pro hac tua in me benevolentia, nova iterum suscipio pro
eadem, in residua quoque Ultima Parte pari affectu a te mihi denuo impenden-
da. TULL. Libens faciam, & e vestigio, ut primum rursus convenerimus,
deliræ Consecrationis Augustæ argumentum rectum aggrediar.

J. O. G. D.

PARS VI.














PARS VI.
ET ULTIMA
DE
CONSECRATIONIS
AUGUSTÆ
IMPIO
DELIRIO.



DIALOGI

hujus

PARTIS VI.

DIALOGUS I. Officium sepeliendi Defunctos, cum hominibus natum, erat pietatis, & honoris.

II. Ritus apud morientes, & mox defunctos observati.

III. De diversitate Funerum, ac ritibus Elationis.

IV. De ornatu Rogi, ritu Combustionis, item Sepulchris, ac Monumentis.


V. De ritu Consecrationis Augustorum.

VI. Numi Julii Cæfaris, & Augusti Divorum.

VII. Ulteriores Consecrationis typi in aliorum Augustorum, & Augustarum Numis.

VIII. Numorum Restitutorum Exempla.

DIA-



DIALOGUS I.

Officium sepeliendi defunctos, cum
hominibus natum, erat pietatis, & honoris.

TULLIUS.

Consecrationi Augustorum, quam solam Numi redhibuerunt, commodo tuo præmittere libet nonnulla, quæ apud Romanos circa morientes, ac mox defunctos fieri consueverant: item, quæ ad Funerum elationem publicam, atque Sepulchra pertinuerunt. Consecrati namque, ausu deliro & sacrilego ex hominibus facti Dii, antea ut homines moriebantur, atque, communi sorte cum cæteris, in cineres igne rogi resolvebantur: ita, ut extra pompæ splendorem augustum, & Apotheosis blasphemiam, nihil fati melioris præ civibus perentiscerent.

Porro Funerum honor, communis Generi humano, erat ex fide Resurrectionis, aut saltem Immortalitatis Animarum. Primos Ægyptios resurrectionem corporum, a Patribus ante diluvianis perpetuo traditam, retinuisse, & ideo suos cum honore sepelisse, dixeram tibi *Part. IV. Dial. III. n. 5.* Philosophi posteriores,

I.

II.

lumine vero carentes, hinc inde opinando palpitabant, maxima tamen parte immortalitatem animæ statuentes: quamvis plures eorum Metempsychosin, sive transmigrationem illarum de corpore in corpus lepide somniaverint.

- III. *Senecam* audiamus *Epist. CXVII.* ita scribentem. „Apud nos „veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri. Nam Deos „esse, inter alia sic colligimus, quod omnibus de Diis opinio in- „sita est: nec ulla gens usquam est adeo extra leges, moresque „projecta, ut non aliquos Deos credat. Cum de Animarum æter- „nitate differimus, non leve momentum apud nos habet consen- „sus hominum, aut timentium inferos, aut colentium., „*Medea*, licet impiissima fœmina, perpetuis præstigiis infamis, filios proprios, ex *Jasone* susceptos, cum ab hoc deserta fuisset, mox inter- emtura, felicitatem tamen futuram eisdem apud *Euripidem* ita pre- cabatur:

Feliciter agatis, sed illic: nam quæ hic sunt,
Pater abstulit.

- IV. Cunctis præterea hanc indidit Natura pietatem, ut morientibus compatiantur, & quibus vitam servare non possunt, saltem luctus officium, atque Justorum funebrium honorem faveant, ac impendant. Princeps horum caput est, defunctum Reipublicæ, communi omnium tradere matri, ac Terræ saltem commendare, sepulchrique honore dignari. Id, quod Legibus æternis adnumeravit *Sophocles*, de quibus ait in *Antigbn.* n. 455.

Non enim nunc, & heri, sed semper
Valent: & nullus scit, unde editæ sint.

- V. Hoc si non fieret, ingens lugendi materia credebatur. *Vegetii* namque opinione L. IV. c. 44. acerbissimus casus erat mortuo, si corpus ejus insepultum remanserit.

Homerus principio *Iliadis* luem, quæ Græcos afflixerat, enar- rans, maximis imputat malis, cadavera insepulta mansisse. *Ælian-* ni testimonio variat. L. V. c. 14. „Lex etiam hæc inter Atticas olim

„ olim scripta fuit, ut, si quis in cadaver hominis insepultum inciderit, saltem ei terram injiciat, & ita sepeliat, ut ad occasum spectet: secus facturus inhumanitatis, ac sceleris notetur. „ Naufragium passuri, quidquid pecuniæ, ac cimeliorum secum habuerant, corpori suo circumligabant, addito rescripto, ut hæc sibi habeat, qui in cadaver, ad litus repulsum, inciderit, hoc tamen cum pacto, ut sepulchrum illi procuret. Quo rite applices illam *D. Lactantii* exhortationem L. VI. c. 12. „ Quamvis in homine ignoto, necessariorum munus implebitur, in quorum locum, quia desunt, succedat humanitas: „ & ubicunque homo desiderabitur, ibi exigi officium nostrum „ putabimus. „

Cum in hostes inclementer omnia fierent, cæsis tamen in acie, etiam apud barbaras gentes, terra indulta fuit. *Antigone*, contra *Creontis* Thebarum Regis præceptum *Polynicen* fratrem sepeliens, & inobedienciæ damnata, apud *Sophoclem* ita respondit: VI.

Neque posse tantum putavi tua
Edicta, ut non scriptas, & certas Deorum
Leges possit mortalis violare.

Nempe, ut *Seneca* *Controversiar.* L. II. *Quadam Jura non scripta, sed omnibus scriptis certiora sunt.* Quodque *Cicero* ait de *Sepultura Philipp.* II. *Pietatis hoc officium exhibetur naturæ, & humanitati.*

Apud Romanos certe nihil ignominiosius, ac detestabilius VII.
reputabatur, quam si, ut fieri solitum tradidit *Lucianus*, propter debita graviora Creditores defuncti corpus auferrent, idque, nominibus per hæredes, aut cognatos non expunctis, extra sepulchrum computrescere debuerit. Quod *S. Ambrosius* in *Tobiam* c. 10. cum ironia sic exprobravit. „ Quoties vidi, a sceleratoribus teneri defunctos pro pignore, & negari tumulum, dum „ scenus exposcitur? Quibus ego acquiescens, dixi: Tenete reum „ vestrum, & ne vobis possit elabi, domum ducite, claudite in „ cubili vestro, carnificibus duriores. Quoniam, quem vos tenetis, carcer non suscipit, exactor absolvit. „ Sic ille, laicus adhuc sub *Valentiniano* Imp. *Aemiliæ* atque *Liguriæ* Præfectus, causisque Judex datus.

VIII. PUBL. Pium fuit erga mortuos officium, dignumque, ac justum. Quid vero tantopere intererat, dum res ita ferret, inhumatum consumi, ut id mali maximi opinione damnaretur? TULL. Leviter hoc excutis, quod etiamnum tamen nemo non refugit honestus, & horret, natura dictante. Ut hodie fide nostra nihil animæ proficit, aut obsit, impensum, negatumve sepulchri officium: aliter idololatriæ persuasum erat. Credebant namque, *Charontem*, Orci navitam, insepulti hominis animam non transvehere, Campisque Elysiis offerre. Uti de talibus cecinit *Virgilius* Aeneid. VI. v. 329.

Centum errant annos, volitant & litora circum.

Quod clarius expressit *Plautus* Most. II. 2. 68. errantem hujusmodi umbram sic loquentem inducens:

Nam me in Acherontem recipere Orcus noluit,
 Quia præmature vita careo, per fidem
 Deceptus sum: hospes hic me necavit, isque me
 Defodit insepultum.

Ubi notes, ad hoc, ut sepultus quis diceretur, non suffecisse, eundem foveæ injectum fuisse, nisi aggesta insuper terra esset contumulatus.

X. Sed forsitan hæc pariter explodis? Mittamus ergo fabellas, & seria cogitemus. Animas Deo reddimus defuncti: Corpora vero nostris relinquimus. Hi porro membra nostra, quibus bonum, aut malum gessimus, omnium Gentium, & ipsius veræ Religionis consensu, vel honore, vel ignominia afficiunt. Sanctorum Ossa etiam Aris imponuntur. Aliorum cadavera, ob ipsius naturæ humanæ reverentiam, abscondimus in sinu terræ, ne turpitude putredinis, ac fœtoris, palam in sensus omnium incurrat. Charorum ora, quæ nos consolabantur, manus erga nos toties beneficas, etiam exanimis osculantur, cineribus honorem impendimus. Contra vero malefactores, tam Canonica, quam Civili lege, sepulturæ privantur officio. Id, quod pariter

ter apud Romanos, quamquam sæpe non sine superstitione, obtinuit.

Nam fulmine ictos, tanquam Diis invisos: item eos omnes, quos per Sacerdotem diris devoverant, nisi ante mortem refecrati fuerint, insepultos relinquebant. Idem contigit iis, qui sibi carnifices facti sunt, causa non probata: de quo *Quintilianus Declamat. IV.* inquit: *Qui causas voluntariæ mortis in Senatu non reddiderit, insepultus abjiciatur.* In furcam acti, aliisque pœnis publicis addicti, æque ut hodie, exquilinis avibus relictæ sunt. Inde *Sceledri* est locus iterum apud *Plautum Mil. II. 4. 19.*

X.

- - - - crux futura est sepulchrum,

Ubi Majores sunt fiti, avus, proavus, abavus.

Vespasianus, tum quidem Prætor, postea Imperator, conjuratorum in *Caligulam* pœnæ hoc etiam adjiciendum censuit, ut insepulti abjicerentur. *Sueton. in Vesp. c. 2.*

Nihil igitur quidem interest animæ, nihil sensus, insepultum computrescere. Interest autem famæ, cui etiam postumæ consulit, qui vivit, & sapit, maxime, quando ignominia facile a nobis in superstites nostros, innocentes licet, consuetudine tamen hominum derivatur. Et esto, fama ex crimine, non ex putredine, laboret: indecens nihilominus dignitati naturæ nostræ habetur ab omnibus, hominem cum pecoribus abjectum videre. Par etiam esse si dixeris, an quisquam bufonum, & vermium in sepulchro sit esca, an extra illud suis carnibus corvos, aliasque bestias pascat: minor saltem ignominia censetur, quæ latet, quam quæ omnibus patet.

XI.

PUBL. Ergo id saltem largieris longe turpissimum, & rationi vehementer dissonum fuisse, quod a defuncti cadavere, qui nihil peccaverat, nisi quod ære alieno adhuc oppressus, a morte præoccupatus fuerit, quasi a vivente supplicium repetierint, idque tanta cum pertinaciâ, quam nec ipsi Præfecti Cæsarum refringere potuerint. TULL. Absit a me, ut iniqua, aut etiam fatua probem, sive tuear. Sed, si prudentiæ locum demus, meditatio proba semper præcedere debet, antequam ritum, consuetudinem, vel sensum quempiam hominum communem ex to-

XII.

to damnemus. Nihil quippe, illorum pariter, quæ censuram promerentur, ita vacat ratione omni, ut nulla sui parte possit excusari. Quod studiosè attendit, qui præcoci judicio crebrius impingere timet. Funera pignoris loco detenta fuisse, admodum inhumanum censeo. Erat autem id vehemens modus, & fortiter perurgens, vel impediendi, ne debita temere contraherentur, vel compellendi ad eadem expungenda. Quem cum & Judices permittere debuerint, colligere certe possis, frequentiam jacturarum effecisse, ut hoc creditoribus remedium negari non potuerit.

XIII.

Cæterum aliud aliquid erat, quo Pietas Funerum, abortiente ratione, prope penitus interversa fuit. Transivit namque tantum in luxum, pompamque, ut in ambitum degenerans, esse cessaret, quod erat. Non jam enim defunctis fieri, sed vivis, inde gloriam aucupantibus, instrui funera videbantur. Et hoc adeo quidem, ut *Lege XII. Tabularum* districtè vetari debuerit profusus eorundem apparatus: ne filii, ac hæredes nimium exinde detrimenti paterentur. Nobis porro convenit, ut obsequia, morientibus impensa, prius tractemus, quam defunctos ad rogam, vel tumulum conducamus.

DIALOGUS II.

Ritus apud morientes, & mox defunctos observati.

PUBLIUS.

I.

Antiquum est mori, & inter homines æternum. Apud nos porro mors vitæ princeps est actus, licet postremus, cum eam continuo excipiat vera æternitas. Aliæ itaque nobis curæ sunt, & severiores bonæ mortis, ac Romanis, quibus futurorum vel nulla spes erat, vel undequaque fal-
lax,

lax, & incerta. Cupio tamen abs te audire, qualiter se illi ad eam comparaverint. TULL. Quando de animi apud eos comparatione doceri a me optas, hæc spes tua te ludet. Ethici hoc argumenti foret, quo te non invitavi. Ut corpore ad ultimam fati lineam subeundam, dum lentum, ac provisum illud fuerat, se aptaverint, breviter intelliges, ea saltem ex parte, qua plerique recepto ex more idem egerunt: non tam, quia consuetudinis erat, quam quod ipsius rei naturæ sic maxime congrueret.

I. Itaque supremæ tabulæ conditæ sunt, nisi hoc sani jam egerint. II. Præcipiebatur Funeris pompa, magna, mediocris, parva, aut nulla, pro modo facultatum, claritudine Muneris, vel Familiæ, item pro ambitu, vel modestia animi. Quæ præcepta hæredes ad unguem curare, & exequi adstringebantur. Risit hoc *Seneca* de Brevitat. Vit. cap. 20. in hunc modum.
 „ Quidam vero disponunt etiam illa, quæ ultra vitam sunt, moles magnas sepulchrorum, & operum publicorum dedicationes, & ad rogum munera, & ambitiosas exequias. At me, hercle istorum funera, tanquam minimum vixerint, ad faces, & ad cereos ducenda sunt. „ Horum e numero non fuerat ille, de quo cecinit *Ovidius* Fastor. V.

- - Aliquis moriens hoc breve mandat opus.
 Mittite me in Tiberim, Tiberinis vectus in undis
 Litus ad Inachium pulvis inanis eam.
 Displicet Hæredi mandati cura sepulchri &c.

III. Rogabant amicos, ne sui memoriam dimitterent. *Suetonio* referente cap. 100. *Augustus* in hac voce defecit: *Livia*, *nostræ conjugii memor vive, ac vale!* cum tamen ipsius artificio, sed ignorans, obierit. *Tacito* præterea narrante Annal. II. c. 72.
 „ *Germanicus*, conversus ad uxorem, per memoriam sui, per communes Liberos oravit &c. „ Inde factum, ut sepulchra longo tempore frequentarentur, ornata fertis, conspersa floribus, lampadibus illustrata, & singulis annis mense Februario communia Parentalia fierent. De *Nerone* quoque, licet crudelissimo Principe, denuo testatur *Suetonius* c. 17. „ Non defuerunt, qui per longum tempus vernis, æstivisque floribus tumulum ejus

„ ornarent. „ *Mavia* quædam, juxta *Herenn. Modestinum IC.* veterem, obiens, tribus mancipiis eo pacto libertatem impertit, ut alternis mensibus lampadem sepulchro ejus accenderent.

- IV. Si grave aliquid, & maxime mortem ipsam ab inimicis paterentur, vehementius obtestabantur amicos, ut ultionem pararent, ac fumerent. Ita rursus *Germanicus* apud *Tacitum*: „ Non „ hoc præcipuum amicorum munus est, prosequi defunctum cum „ gravi questu: sed, quæ voluerit, meminisse, quæ mandaverit, „ exequi. Flebunt *Germanicum* etiam ignoti: vindicabitis „ vos, si me potius, quam fortunam meam, fovebatis. - - - „ Juravere Amici, dextram morientis contingentes, spiritum „ ante, quam ultionem amissuros. „ V. De Græcis *Montfocœnius* Antiquitat. Tom. V. Part. I. p. 4. „ In Græcia cum quis „ quam æger decumberet, ad januam apponebantur Rhamni, „ laurique. Rhamnus ad abigendos cacodæmones idoneus, ut „ putabant, erat: Laurus vero placando Apollini, Medicinæ „ Deo, deputabatur. - - - Lebetes quoque, & vasa ænea „ percutiebant, ut hoc strepitu malos dæmones, geniosque fugarent. „

- V. VI. Dum res proxime ad agonem spectare videretur, anulum suum aut ipsi digito detrahebant, proximo Agnatorum, aut Hæredi futuro eum tradentes, vel, ut ipse detraheret, eum porrecta manu cohortabantur. Fiebat hoc, ne a pollinctoribus, aut aliis, dum cadaver componeretur, annuli subtrahi possent: qui redditi sunt comburendis in rogo, tanquam præcipuum Equestris, ac Senatorii Ordinis ornamentum. Infit enim *Plinius L. XXXIII. cap. I.* „ Annuli distinxere alterum Ordinem (scilicet „ Equestrem) a plebe, ut semel cœperunt esse celebres, sicut „ Tunica ab Annulis Senatam tantum. „

- VI. VII. Ut mors quoque auspicata contingeret, cum nihil in vita inauspicato susciperent Romani, Deos invocabant, cumprimis vero, ac semper Mercurium: quem animarum ad inferos ductorem opinabantur. VIII. Si per vim agonis valerent, manus propinquorum, vel amicorum attrahebant ad oculos sibi claudendos: quod officium parentes, proles, fratres, ac sorores, conjuges quoque, uti & amici, ac familiares, mutuo sibi præstabant. In rogo autem cubantibus oculi denuo ab iisdem aperiebantur: de quo iterum *Plinius L. XI. c. 37.* „ Morientibus

„ oculos operire , rursusque in rogo patefacere , Quiritium ma-
 „ gno ritu sacrum est : ita more condito , ut neque ab homine
 „ extremum spectari fas sit , & Cœlo non ostendi nefas. „ Ec-
 ce superstitionem.

IX. Exspectabant quoque suprema Oscula , quibus quodam-
 modo spiritus morientium a vivis hauriretur. X. Demum extre-
 mis verbis id suis commendabant , quod maxime persuadere cup-
 pierant : ad quæ proinde audientium attentio summa fuit , animi
 non minus , ac aurium. Censebant enim , nec forte omnino abs-
 re , Spiritum hominis , collectis omnibus viribus , melius nun-
 quam sapere doctum , immo & majore futurorum præscientia do-
 natum esse , quam ubi , solvenda jam animæ corporisque com-
 page , mox erat exiturus. Testimoniorum omnium loco , quæ
 ubertim afferri possent , tibi sufficiat Exemplum unicum , quod
 ex visu refert *Valer. Maximus* L. II. c. 6. VII.

Cæcus nimirum ipse cum cæcis , & ignorans , Dominium
 vitæ nostræ apud omnium Conditorem esse , primum probavit ,
 voluntariam sui occisionem licere , hoc furo rationis pessimum
 hunc errorem convestiens. *Adversa* , inquit , *fortuna* , *simul & pro-*
spera , *voluntaria mortis equam præbent rationem : prior , ne perseveret*
affligendo , posterior , ne cruciet destituendo. Tum de Fœmina quadam
 Oppidi *Julide* nobilissima , quæ jactabat , cum nonagenaria esset ,
 se hilarem tamen fortunæ vultum semper expertam , narrat , eam
 vitæ saturam , obtenta Senatus facultate , morbi fatalis dolores
 hausto veneno sponte prævenisse. Mortem ipsam sic exponit.
 „ Cohortata deinde ad concordiam suos , distributo eis patrimo-
 „ nio , & cultu suo , Sacrisque domesticis majori Filia traditis ,
 „ poculum , in quo venenum temperatum erat , constanti dextra
 „ arripuit. Tunc defusus *Mercurio* delibamentis , & invocato Nu-
 „ mine ejus , ut se placido itinere in meliorem Sedis infernæ de-
 „ duceret partem , cupido haustu mortiferam traxit potionem :
 „ ac sermone significans , quasnam subinde partes corporis sui ri-
 „ gor occuparet , cum jam visceribus eum , & cordi imminere
 „ esset locuta , Filiarum manus ad supremum oculorum oppri-
 „ mendorum officium advocavit. Nostros autem , tamesi novo
 „ spectaculo obtupefacti erant , suffusos tamen lachrymis dimi-
 „ sit. „ Pleraque omnia , quæ prius percensueram tibi , hic
 confirmantur. VIII.

Acto, ut videbatur, spiritu, mortui nomen aliquoties inclamabant, ut eo audito, si necdum plene contumtus esset, signa daret. Hoc ubi frustra fuit, lavabatur calida, ut vel sic sensum vitæ proderet, si quis foret in ipso superstes. Demum ora, ac membra, forsitan per vim agonis distorta, redigebantur in ordinem, totumque corpus componebatur, syndone alba circumligata. Magni, divitesque viri inungebantur a *pollinctoribus*, ingenti cum unguentorum pretiosorum, & odoriferorum profusione: quæ & foetorem subigerent, & putredinem aliquamdiu detinerent, insuper autem, ut cadavera comburenda tanto celerius arderent. Hæc unguenta venum prostabant in templo *Libitinae* Deæ, apud inde appellatos *Libituarios*.

X. Uncti collocabantur in Propyleo domus, pedibus januam spectantibus, ut a transeuntibus videri possent. Unde de Senibus decrepitis proverbium erat: *Jam spectat fores*. Antegebantur clari, opulentique Domini purpura, togaque pretiosa: capiti coronæ florum, aut lauri, aut olivæ, sive quas alias in vita promeruerant, imponebantur. Lectus, in quo funus illustre collocatum erat, pariter conspergebatur floribus, aliisque ornamentorum generibus condecorabatur. Erecta fuit & Ara humilior, quæ thure, casta, & aliis bene olentibus aromatum generibus fumabat. Nec cerei ardentes defuerant. Addebantur Custodes corporis, & apud Principes Viros ephebi, muscas flabello abigentes. Ante fores Cupressus erat, arbor funerea, quæ transplantata non revirescit.

XI. Sic honoratum funus clarum, ac nobile, minimum septem diebus, ac noctibus, ad portam jacuit, vultu aperto, aut, si morte deformatus fuerit, picto, vel plane larvato. Nomen interea defuncti quotidie iterum, iterumque alta voce inclamatum, ut constaret, eum certo devixisse. Nunquam illo aut vocem, aut signum edente, demum ajebant: *Conclamatum est*. Neque plane frivolum hoc fuit. Scripsit namque *Plinius L. VII. c. 52.* hunc in modum. „ *Cælium Tuberonem*, Prætura functum, a rogo relatum, *Messala*, *Rufus*, & plerique tradunt. *Aviola* Con-

„ sularis in rogo revixit, & quoniam subvenire non potuerat,

„ prævalente flamma, vivus crematus est. Similis causa in *L.*

„ *La-*

„ *Lamia* Prætorio Viro traditur. „ Quibus epiphonema hoc subdidit. *Hæc est conditio mortalium: ad hæc, & ejusmodi occasiones fortuna gignimur, uti de homine ne morti quidem debeat credi.*

Addit *Montfalconius* ex *Apulejo* L. IV. *Floridor.* *Asclepiadem* græcum, arte Medica in paucis clarum, dum aliquando e suburba-
no suo in civitatem rediisset, viso ingenti funere locato, cum amplissima complorantium turba, propius accessisse, ut videret, quis esset. Mox autem in eo signa vitæ animadvertisse, & contractato corpore, certa plane deprehendisse. Idcirco, quamquam irrideretur a pluribus, & ipsi Propinqui vehementer obniterentur, vespillonibus tamen corpus eripi, suamque in domum deportari curasse: ubi spiritum ejus post paulo, pharmacorum ope, in omnia membra revocaverit. XII.

PUBL. Inde ad nos usque profectum putem, ut funera alterum saltem in diem serventur, & ambigo satis, utrum adeo incredibile sit, interceptum duntaxat spiritum nonnunquam propenitus eliso haberi. TULL. Cave, ne virgam *Aesculapii*, serpentibus minacem, in te provoces. Quæ porro dixeram hactenus, ac deinceps de pompa funerum referam tibi, sic accipias velim, ut *Croesum* ab *Iro* rite discernas. Pauper namque, ut nosti, non solum ubique jacet, sed & omni tempore jacuit, atque jacebit. Spectat ad omnia funera illud *Oveni*: XIII.

Dum moritur dives, concurrunt undique cives:

Dum moritur pauper, currit vix unus, & alter.



DIALOGUS III.

De diversitate Funerum , ac ritibus
Elationis.

P U B L I U S.

I. **N**ihil miserius cadavere hominis , cui mors rerum omnium terrenarum commoda rapuit , & sensum. Nihilominus tamen tanta quandoque cum pompa effertur , quanta vivens vix unquam processit. Lugubres , quales dicuntur , hujusmodi Scenæ sic adornantur , ut , extra figuras nonnullas doloris , ad latitiam verius compositæ , Democrito ridendi potius , quam Heraclito flendi argumentum præberent. Mortuo fieri talia jactantur , qui tamen eorum omnium penitus nihil ultra videt , vel audit. Quorum vero per hæc oculi , auresque pascuntur curiositate , ii sunt , qui eadem sibi met instruunt , ut morti veluti plaudentes insultent , & , quæ abstulit ista , hi restituere videantur. Verumtamen hæc est humanæ vitæ deceptio , ut semper figura prætereunte deludatur.

II. **TULL.** Equidem fateor , sic esse. Sed mundus natura vanus est , undique ad speciem compositus , idque sensu tam pertinaci , quem , nisi fortassis in paucissimis , nulla Sapiencia unquam emendabit. Optima Justa manium piorum essent , si animæ sancta sedulitate curarentur , & exempla proborum æmulatione bona quotidiani speculi loco haberentur. Foret hic honor Defunctorum , qui possit esse , summus , & hæc grates relatæ bene meritis , ut optatæ maxime , sic & maxime essent acceptæ , nec infructuosæ animabus Charorum nostrorum. Ut enim improbi a morte luunt scandala relicta , ita probi recipiunt præmia boni exempli. Nulla Gens , quantumlibet illustris , majorem , quam abhinc , gloriam caperet : semper enim augetur justis ,
& bo-

& bonis. Nunc porro lucere foris, quæ magni fiant, omnia debent. Mirumne, si tot ac tanti rerum colores perpetuo illudant? Sed quo abimus? Audiamus, quæ facta sunt: quam recte, intra nos cogitemus.

Olim cum emortuis festinabatur ad Sepulchrum, vel ad Rogum: utrobique iidem in cinerem abierunt. Græci utrolibet modo agebant: sequebantur eos Romani. Sed apud hos Rogus admodum fero, nec ante adhibitus, a nonnullis refertur, quam, non parva cum indignatione, vidissent, quorumdam internecinum odium etiam in sepulchra grassari, ipsisque ossibus, ac cineribus iracundas manus inferre. Sic, juxta *Ciceronem* de Legg. L. II. ac *Plinium* L. VII. c. 54. *Sylla* Dictator, cum antea *C. Marii* sepulchrum apud Anienem effringi, ejusque ossa dispergi jussisset, metuens postea, ne par sibi contingeret, primus omnium suæ *Corneliæ* Gentis in rogo se comburi præcepit. Liberum tamen cuilibet fuit, quo pacto mortuus vellet consumi.

Qui combustionem suadebant, Philosophi, jactarunt velociorem, & faciliorem spiritus humani conjunctionem cum principio, quod agebant, suo, scilicet aura tenui, aut ipsius mundi anima. Quorum ad sensum cecinit *Ovidius* Trist. L. I. Eleg. IV.

Spiritus hic vacuas prius extenuandus in auras
Ibit, & in tepido deferet ossa rogo.

Infantes tamen sepeliebantur semper, non cremabantur: quorum, uti & Virginum adularum funera, dicebantur acerba. Quæ, sicut & puerorum, ac adolescentum, doloris citius leniendi causa, noctu, brevique ritu, & omissa pompa, efferebantur. Inde *Juvenalis* lamentatus est Satyr. XV.

Naturæ imperio gemimus, cum funus adultæ
Virginis occurrit, vel terra clauditur infans,
Et minor igne Rogi.

Quinam talis fuerit, *Plinius* docuit L. VII. cap. 16. inquires:
Hominem prius, quam genito dente, cremari, mos gentium non est. De
Ado-

Adolescentibus fidem *Tacitus* facit, *Annal.* XIII. narrans, *Neronem* fratris *Britannici* quindecennis, quem veneno perimi præceperat, subitas, nocturnasque exequias indignanti plebi excusasse, quod a Majoribus institutum esset, *subtrahere oculis acerba funera*, neque laudationibus, aut pompa detinere.

V. Præcipuæ Funerum species erant: I. *Commune*, seu vulgare, scilicet vulgi, & pauperum. II. *Tacitum*, i. e. sine pompa, licet esset magnorum virorum: qui tamen, vel ob inopiam facultatum, vel quod majorem ex modestia, quam pompa, quarent laudem, luxum omnem prohibuerunt. III. *Solemne*, quod nullo non genere posthumi honoris condecorabatur. IV. *Indivium*, ad quod universus Populus publica præconis, horam indidentis, voce, hac fere formula evocabatur: *Ollus* (i. e. ille) *Quiris letho datus est. Cajo exsequias ire, cui commodum est, jam tempus est. Ollus ex adibus effertur.* V. *Publicum*, quod are conlato fiebat, sive ad quod Populus universus contulit stipem. Contigit hoc magnis, optimeque de Republica meritis viris, quandoque solo Populi affectu, quandoque movente pariter compassione inopiæ: subinde decreto Senatus: aliquando compellente metu Imperatoris, qui sibi magis, quam populo, dilectum publice honorari optaverat. VI. *Imaginarium*, dum, corpore absente, illis, qui alibi, vel dudum antea decefferant, pompa funebris nihilominus instructa fuit, nec semel tantum, unove in loco, sed pluries, inque locis diversis: quemadmodum hodie defuncti Principis exequiæ, cum solemnium tumulo, longe post funus, in omnibus urbis Ecclesiis fiunt.

VI. Feretrum, quo defunctus Nobilis, ac dives efferebatur, *Levica*, & *hexaphora*, dum a sex, *octaphora*, dum ab octo viris portaretur, appellata fuit. Hæc & *Lectulus*, vel *Thorus* nuncupabatur, peristromatibus, vel purpura convestitus, inmo & auro quandoque, ac gemmis dives: ubi defunctus apertus jacebat. Pauperes efferebantur *sandapila*, quatuor duntaxat a *vespillonibus* gestata. Has *Martialis* ludo poetico *Spondas* dixit *Orcimanas* ab *Orco*, quo animæ defunctorum deducebantur. Divitum portitores erant hæredes, aut propinqui, vel amici: Imperatorem extulerunt vel Centuriones, ac Tribuni, vel Senatorum juniores.

Noveris præterea, Veterum phrasi aliud fuisse, *Funus face-
re*, sive *ducere*, & aliud, *funus exequi*. Primum de illo dicebatur,
qui Exequias curavit, inque pompa ejus ductor præiit: alterum
de omnibus, qui comitando sequebantur. *Funus commovere* ap-
pellabant ejus de loco in locum translationem. *Iusta is fecit*, qui,
ut aiebant, *in sepulchro glebam objecit*, h. e. pulverem defuncto
tertium injecerat. In Rogo pariter, si *Festo* credamus, diversæ
voces locum obtinuerunt. Ait namque ad *Virgilium* Aeneid. III.
„ Apparatus mortuorum *Funus* dici solet: exstructio lignorum
„ *Rogus*: subjectio ignis *Pyra* crematio cadaveris *Bustum*: locus
„ *Ustrina*: operis constructio *Sepulchrum*: Nomen inscriptum Mo-
„ *numentum*. „ Hæc tamen sæpe synonyme sumta sunt.

VII.

In ipsis Exequiis ordinariis, quas *Cicero* celebritatem supre-
mæ diei esse prædicaverat, post eum, qui *Funus fecit*, ac *duxit*,
anteibant *Præfica*, i. e. Fœminæ ad plorandum conductæ: quæ,
juncto tibiarum, ac tibicinum lugubri sono, *Nanias* lamentando
decantabant. His defuncti laudes, & varia, quæ consolationi
familiæ apta sunt visa, continebantur, sæpe vero tam frivola,
ut, quisquis inepta proferret, aut scriberet, *nanias cantare* pro-
verbio diceretur. Quædam porro mulierum istarum, cum nulla
penitus tristitiâ essent, immo lætarentur de mercede, vel præ-
mio, scenam tamen extremi doloris arte subdola, usuque longo,
sic mentiri didicerant, ut etiam veras lachrymas oculis exprime-
rent. Has insequiebantur Propinqui omnes. „ Nam semper
„ (ut habet *Plinius* Libr. XXXV. c. 2.) defuncto aliquo, totus
„ aderat Familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus. „ Junge-
bantur Amici, necessarii, ac familiares, peculiariter invitati.
Cientes, ac servos non defuisse, facile cogitabis.

VIII.

Hi omnes, cum primis Filii, ac filiæ, *Præficarum* exemplo,
tam vultu, quam gestu, luctum exprimebant: vellebant crines,
quibus passis erant mulieres, uti & pedibus nudis: quandoque
lacerabant & vestes. Viri pullo, atroque habitu erant, mulie-
res albo. Ubi addere libet *Plutarchi* locum Quæstion. Romanar.
Problem. 27. „ Cur (interrogat) mulieres in luctu vestes, &
„ vittas albas gestant? An exemplo Magorum - - an vero,
„ quia, cum mortui alba veste sint operti, similis in cognatis ve-
„ stis requiritur? Hujusmodi veste mortuos induunt, cum album
„ colorem animæ indere non valeant: etsi summopere cupiant,

IX.

„ eam, vitæ cursum emensam, puram, splendidamque appare-
 „ re. An etiam, quia decet, omnia, quæ ad luctum adhiben-
 „ tur, esse admodum simplicia? Atqui id, quod colore quo-
 „ piam, sive nigro, sive cæruleo tingitur, simplex non est: co-
 „ lor enim aliquam infert mixtionem. Albus ergo tantum color
 „ mortuis convenit. Ait *Socrates*, in Argo ad luctum gestari ve-
 „ stes albas, aqua ablutas. „

X. In summis, ac publicis Funeribus, quæ a Munere Defun-
 cti nomen fortiebantur, ut *Senatoria*, *Censoria*, *Consularia*, *Impe-
 ratoria* dicerentur, pompa sic aucta est, ut prope Triumphalis
 evaderet. Deserebantur quippe Insignia Magistratus: gereban-
 tur Præmia, & coronæ, ac dona civitatum, olim eidem delata:
 Vexilla, & Spolia, hostibus erepta: tabulæ Urbium, & Natio-
 num devictarum. Cum primis autem Cæræ Majorum ordine lon-
 go prælatæ. Ducebantur & equi, jubis nonnihil præfectis. Li-
 cttores fascibus, Legiones hastis inversis comitabantur, Liberti
 capitibus velatis. Processio per amplissimas Urbis plateas duce-
 batur primum ad Rostra, sive Forum publicum, rostris navium
 exornatum, ubi fuit suggestus Oratorum publice declamantium:
 & ibi Laudatio funebris fiebat.

IX. Amplioribus ut supersedeam, neque tamen tibi rem subtra-
 ham, subjicio *Polybii* relationem prolixam nonnihil Libr. VI. c.
 51. qui excessum pompæ hujus, ne penitus ut vana damnetur,
 ab utilitate laudabilis exempli, Juvenibus præbiti, excusat.
 „ Quoties (ait ille de Romanis) aliquis vir illustris apud illos
 „ migravit de vita, is, cum funus effertur, præter reliquos ho-
 „ nores, quibus ornatur, in forum ad Rostra, ut vocant, solet
 „ efferri, stans interdum, ut sit omnibus conspicuus, rarius ja-
 „ cens. Ibi, populi totius corona circumstante, aut filius, si
 „ contingat filium ætate adultum ab eo esse relictum, atque ille
 „ præfens adsit, sin minus, e sanguine junctis aliquis Rostra con-
 „ scendit, defunctique laudes commemorat, & si qua, dum vi-
 „ veret, feliciter ab eo fuerint gesta. Unde evenit, ut Popu-
 „ lus rediens in memoriam anteaactorum, & ob oculos sibi ea po-
 „ nens, sic afficiatur, non illi duntaxat, qui gerendis rebus,
 „ quæ sunt narratæ, interfuerunt, sed ii etiam, qui plane alieni
 „ fuerunt, ut publicus videatur is luctus esse, non eorum pro-
 „ prius, ad quos Funus pertinet.

„ Deinde ubi cadaver sepelierunt, & iusta peregerunt, XII.
 „ Imaginem defuncti in celeberrima Ædium parte ponunt, li-
 „ gnea quadam ædícula circumtectam. Est autem hæc Imago
 „ vultus similitudo, quam accuratissime expressa, tum deforma-
 „ tione figuræ, tum & pigmentis. Has Imagines per solemnita-
 „ tates publicas aperiunt, & cum studio exornant. Cum au-
 „ tem illustris vir aliquis ex eadem Gente, vel Familia diem
 „ clausit ultimum, ad funeris elationem eas proferunt, &, ut
 „ quam simillimæ sint defuncto, reliquum etiam corporis trun-
 „ cum adjiunt. Hæc porro Simulacra togas assumunt, si vir
 „ Consularis, aut Prætorius quis fuerit, prætextas: si Censo-
 „ rius, purpureas: si Triumphalis, aut simili honore functus,
 „ auro radiantem. Et hi quidem curru vecti procedunt. At
 „ fasces, & secures, & quæcunque alia Magistratus comitari
 „ solent insignia, ibi quoque præcedunt, pro honore, ac di-
 „ gnitate, quam quisque in Republica, dum viveret, obtinuit.

„ Ad Rostra ut ventum est, ordine omnes sellis insident XIII.
 „ eburneis: quo spectaculo nullum pulchrius Juvenis, veræ lau-
 „ dis, ac virtutis amans, queat intueri. Quis est enim, quem
 „ laudis cupido non invadat, cum Imagines Virorum, quos sua
 „ virtus fecit insignes, velut vivas omnes spectet, ac spirantes?
 „ Cæterum qui mox sepeliendum laudat, absoluta hujus lauda-
 „ tione, ad alios orationem conferens, ab maximo natu omnium,
 „ qui adsunt, orditur, & decora singulorum, ac res gestas
 „ commemorat. Atque hoc modo bonorum præstanti laude,
 „ ac fama, subinde renovata, eorum gloria fit immortalis: No-
 „ men autem præclare olim de patria meritorum, vulgo inno-
 „ tescens, ad posteritatis memoriam propagatur. Et, quod
 „ longe maximum, Juventus ad omnia ferenda excitatur: quo
 „ tandem illam adipiscatur gloriam, quæ bonos comitari solet.,

„ PUBL. Grates tibi pro hoc excerpto. Ad recte enim XIV.
 „ piendum ex Historia veteri eximie juvat, non solum, quid ge-
 „ stum sit, cognoscere, & acquiescere nudæ curiositati: verum
 „ etiam quo fine sit factum, indagare, ac studiose attendere, ut
 „ inde prudentia nascatur. *Polybius* ex veteri canone, quo vanitas,
 „ & ambitio omnis, nonnullas rationes quærunt, per quas
 „ aliqua saltem sui parte prodesse videantur, & excusari mereantur,
 „ cum vitia omnia præferre studeant larvam virtutis, multa

jactavit de meritis Majorum, in exemplum Nepotum hoc pacto quasi mira cum prudentia, vique, & energia, & motu Juventutis propositis. Scit vero mundus, teste hiltoria veteri omni, quibus vis, profecto derestatione potius, quam imitatione dignis, plurimi apud Quirites magni Viri grassati fuerint ad summa munia Reipublicæ: ambitione videlicet, invidia, supplantatione, ac oppressione aliorum, tyrannide, civilibus bellis. Quodsi e laudationibus funebribus eorum, hæ scoriæ criminum detractæ fuissent, quam paxillum boni, Juvenibus, virtutis veræ cupidis, & amantibus, in æmulationis exemplum remansisset? Sic habent Laudes humanæ: sic Eloquentia plerumque peccat: sic sceleri fucum inducit: sic infinitis insipientium animis imponit. Veræ Virtuti aternitas debetur, ac Gloria: fucata ignominia, & oblivio perpetua.

DIALOGUS IV.

De Ornatu Rogi, ritu combustionis,
Sepulchris, & Monumentis.

TULLIUS.

I. **C**orpora pro libitu cujuslibet vel humata, vel cremata fuisse, supra jam dixeram. Primum liquido testantur nonnullæ apud *Gruterum* Inscriptiones, in quibus diserte legitur: *Corpus integrum conditum sarcophago*. Utrumlibet autem fieret, hæc tria prætermittere nefas erat. I. Staterem imponere ori, tanquam naulum, Charonti pro transvectione pendendum. II. Sitis apud inferos prævertendæ causa, defuncto frigidam aut infundere, aut a Plutone exorare. III. Optare terram levem, ne nimio pondere gemeret: quam in rem Ceres implorata fuit. Sed ab lepidis hisce ad Rogi stolidum luxum transeamus.

II. Erigebatur is in formam Aræ quadratæ, humilis in privatis, atque communibus funeribus, ut ferebant voluntas, & facultas de-

defuncti. Divitum Rogi celsiores erant, atque ornatiores: Summorum Virorum, cum primis Principum, & Imperatorum, tertium, quantumque substructi, turrium speciem referebant. Componebant Rogum simplicem trabes lignorum, quæ facillime ignem caperent, multo stramini superpositæ: celsioris molis infimam partem hæc ligna constituebant. Rudes primum trabes adhibitæ: crescente vero ambitione divitum familiarum, ascia dedolatæ, atque politæ, insuper etiam pingebantur. Quod *Plinius*, quemadmodum in triremibus, ubi navigantes toties vitæ periculum adveniunt, ita & in Rogis, hoc laconismo carpebat Libr. XXXV. c. 7. *Quoniam & pericula expingimus, ne quis miretur, & Rogos pingi.* Hæc autem inanis profusio sumtuum lege XII. Tabularum inhibita fuit.

Substructiones altiores, quarum latitudo semper decrevit, floribus, aromatibus, velis, intextis auro stragulis, portis, fornicibus immo & Signis eburneis, ac Statuis, atque Tropheis, ad splendorem illustrabantur: ubi gradus, per quos ascendebatur, deesse non poterant. Injiciebantur eisdem vestes, ac vasa pretiosa, item Arma, defuncto maxime dilecta. Pecora etiam quandoque varia mactata, atque dissecta, hanc struem funestam augebant. Apud juvenes idem factum Aves, & canes, quibus delectabantur, subire debuerant. Nec desunt exempla Maritorum, Uxorum, Servorum, qui crudeli amoris excessu, aut rogum sponte insilirent, aut ferro in viscera adacto, eundem fumanti sanguine suo perluerent. Hoc tamen, apud barbaras gentes non infrequens, apud Romanos vix unquam acciderat. Quid, quod etiam ipsi Dii mortem Charorum celeriore permissam nonnunquam luere debuerant, multis in eos maledictis, ut in obitu *Germanici* *Caesaris*, palam jactatis, Templisque ex impatientia doloris lapidatis?

III.

Quoniam vero Corpora, humoribus plena, lente satis quandoque comburebantur, immo vi flammæ, ob reluctantiæ, ejiciebantur penitus: ventos rogabant stolidi, & implorabant, ut spirarent, ignemque succenderent vehementius, & alerent. Ita certe tradidit, aut finxit, somniavitque *Homerus* Il. XXIII. 193. ubi *Patrocli* exequias, ab *Achille* amico factas, prolixus decantavit. Habet enim in reliquis:

IV.

Tunc rursus alia cogitavit pedibus valens divus
Achilles.

Stans seorsum a *Pyra*, duos orabat Ventos,
Boream, ac Zephyrum, & promittebat Sacrificia pre-
tiosa,

Multa etiam libans aureo calice, supplicabat,
Ut venirent, ut citissime igne comburerent cadaver,
Lignumque festinarent ardere.

Quod pariter de Romanis insinarunt alii. Foetorem ardentium rerum perpetuo thure injecto, oleo quoque, & unguento infusis, cum primis vero Cupressi ramis, circum omnem Rogum decore fixis, aut in ferta dispositis, mitigare studebant. Hæc namque Arbor odorem fortissimum, nec ingratum, constanter a se emittit.

V. Rogum accendit Hæres, aut Propinquorum princeps, vel alius quisquam Vir honoratus, precibus requisitus. Qui tamen retrogrado gressu accessit, & averso vultu id fecit: cum ignis iste funestissimus haberetur, ac propterea liceret nemini, faces, torresve ex rogo surripere, aut igne ejusdem ligna quælibet alia in usum vitæ communem accendere. Quapropter *Valer. Maximus* L. IX. c. I. *Catilinam* ex eo vehementer detestatus est, quod proprio & unico filio suo primi conjugii per toxicum necato, ex ardenti rogo ejusdem *Maritalem* facem accenderit, eodem vesperi *Aurelie Orestilla* nuptiis conjunctus. Fœminæ autem, scilicet Matres, Uxores, Filia, ob nimiam animi teneritudinem, luctusque excessum, ab hoc funestissimo Rogi succendendi officio immunes esse permittebantur. Quamdiu hic arsit, resonabant Præficarum Nœniæ, planctusque tiliarum, mixto Propinquorum, & Agnatorum lamento, Populusque universus circum constitit, mœrens, lugensque, oculis aut humi defixis, vel ad se mutuo, sive retrorsum conversis.

VI. Consumto cum *Lectica* sua, totaque *Pyra*, cadavere, quod altissimo loco steterat, fiebat *Offilegium*, i. e. Ossa, quæ necdum plene combusta erant, cum proxime accumbentium cinerum parte, studiose a Propinquis exquirebantur, domum deportanda, *Urnisque* includenda, postquam liquoribus suaveolentibus, ac melle, diluta fuissent. Erant, qui corpora defunctorum, propter ossa,

&

& cineres internoscendos, telæ Amiantinæ, scilicet ex Asbesto factæ, involuta fuisse crediderint: quæ flammis non absumitur, sed iisdem, dum immunda est, purgatur. Verumtamen cum Lapis iste obscuri viroris, qui veluti mera in fila duci potest, rarus admodum existat: multum dederis, quando ejusmodi linteamina Regibus, aut Imperatoribus indulseris. Postremum, antequam a Rogo discederetur, fuit mœstissima, & ultima defuncti *salutatio* publica, qua eidem supremum vale dicebatur. Domi propinquis, amicis, portitoribus, Cœna funebris præbebatur, tam vero sæpe opipara, ut in lætitiâ hospites omnes plerumque solverentur: quod fieri ajebant, ut hæredibus fletus, luctusque nimius abstergeretur.

Ab Exequiis, & Rogo, propagatus est honor Defunctorum VII. ad *Sepulchra*, & *Monumenta*: quorum variæ species, ac formæ, sicut & Nomina fuerunt. Primum, quod notes est, *Sepulchra* semper subterranea fuisse: *Monumenta* vero, quæ etiam *Cenotaphia*, vel *Memoriæ* dicebantur, erecta fuisse, aut super *Sepulchra*, si mortuus ibi quieverit saltem suis cineribus, vel eo absente, semper super terram exstructa, omnium oculis exposita fuisse, addito non infrequenter: hic *cubat*, hic *quiescit*: licet nihil cadaveris ibi esset. *Monumenta* sibi ipsi quisque parare poterat: id, quod factum esse, plerumque in Lapidibus indicant hæ voces, aut literæ: *De suo fecit: V. ivus F. ecit: H. oc V. ivus S. ibi F. ecit M. onumentum.* Dolens namque conquestus est *Plinius* junior Epist. L. VI. 10. „Tam „rara in amicitiâ fides, tam parata oblivio mortuorum, ut ipsi nobis debeamus etiam Conditoria exstruere, omniaque hæredum „officia præsumere.,,

Sepulchra quod attinet, ibidem non sola Corpora integra humanata jacuerant: sed crematorum quoque ossa, cineresque condebantur. Immo peregre mortuorum solæ quandoque vestes, vel Arma, memoriæ causâ, reponi consueverant. Quædam *Sepulchra Privæ* fuerunt, quæ quisquam uni sibi, aut Uxori simul struxit, excluso hærede: alia *Communia* toti Familiæ Conditoris: alia *Hereditaria* universæ Genti, ex qua quis erat, licet in ea Stirpes plures, Familiæ plurimæ forent. Hæc postrema dicebantur *Hypogæa*, & grandia fuere cubilia subterranea concamerata, in quæ gradibus descendebatur, fornicibus, & ambulacris ita discreta, ut unaquæque Stirps ejusdem Gentis peculiarem cellam suam obtineret.

neret. Habebant portas, & scalas, cumprimis *Columbaria*, exinde dicta, quod, sicut pro Columbibus ex omni parte fiunt foramina, ita & hic per integra murorum latera, ordine iusto, & concinno, cellulæ excavatæ, & arcuatæ, dispositæ essent pro Vasis, Ollis, au-
 Urnis cinerariis imponendis, inscripto ejus nomine, cujus reliquiæ inessent.

IX. Divites porro suis in *Hypogeis*, & *Columbariis* modo dictis, omni anaglyphorum, & imaginum genere, ac pretio exornandis, adeo profusi fuerunt, ut eadem ipsis quandoque Deorum Templis æmula viderentur. *Urna* æneæ, marmoreæ, lapideæ, vel testaceæ fiebant, quarum, in Italia cumprimis, ingens copia servatur, ac fere quotidie adhuc e terra eruitur, formamque earum admodum, & mire variam ostendit: quam celeberr. *Montfalconius* Antiquitat. Tom. V. exactissimis imaginibus multas per tabulas oculo curioso subjecit. Ego porro in his, quorum nihil, extra Rogos, Numi ostendunt, ultra non moror.

X. Hoc solummodo addere libet, indemnitati *Sepulchrorum*, quæ & *Ara* vocabantur, severis legibus, dirisque illorum, qui ea condiderant, imprecationibus cautum fuisse, ne defunctorum quies æterna, aut honor eorum postumus violaretur. *Si quis hanc Aram læserit* (scribebant) *habeat Genium iratum Populi Romani, & Numina Divorum.* Item:

Læseris hunc tumulum si quisquis, in tartara pergas,
 Atque expers tumuli læseris hunc tumulum

Rursum alibi: *si quis Myrtalem* (nempe fœminam ibi sepultam) *loco moverit, solvat fisco denaria bis mille quingenta.*

XI. Ejusmodi acribus formulis maxime opus erat, quia *Sepulchra* plerumque juxta vias publicas erant, ut nimirum Elogia defunctorum tanto frequentius in oculis hominum, pro illorum gloria versarentur. Unde tam frequentes Marmorum formulæ: *Sta Viator; Aspice Viator; Cave Viator &c.* Cum porro has vias omne genus hominum terreret, omne similiter petulantia genus, atque audacia, immo malitia, hæud immerito metuebatur. Timebantur & fures: quoniam permulti unacum cadavere, vel cineribus, condebant pariter

ter pecuniam suam, & monilia, item vasa pretiosa, veluti sub custodia Manium, inque Loco, Religione sacro. Maxime formidabantur Magi, qui calvarias, & ossa mortuorum, ad veneficia sua, jam tunc, ut hodie, adhibebant.

Quam tu mihi multa breviter colligis: e quibus tamen omnibus, præter superstitiones fere perpetuas, & ambitus, arque jactantiæ luculenta indicia, id, quod pium erat, vix tenui umbra deprehendas. Verumtamen ab homine, cui cœlestes radii mentem, pectusque non imbuunt, quid nisi suæ vanitatis ostentationem omni ex parte expectes? XII.

DIALOGUS V.

De ritu Consecrationis Augustæ.

TULLIUS.

IN describendo Consecrationis Augustæ Ritu omnes fere *Herodiani* facem sequuntur: qui tertio Sæculo nonnullorum Imperatorum Vitas græco sermone describens, L. IV. c. 2. de eodem longa verba fecit. Dicebatur *Consecratio* græco nomine *Apotheosis*, & initium Romæ cepit mox a *Romulo* Conditor Urbis, primoque Rege. Hic namque, dum Nonis Quincilibus ad Capream paludem exercitum lustraret, coorta subito ingenti tempestate, ex omnium conspectu subtractus fuit. Alia vero, ac certiori narratione traditum est, eum, ob invisam potentiam, ac severitatem, odiis diu latentibus, hac opportunitate manibus Patrum in frustra minutissima discerptum, clamque per partes asportatum fuisse. Suspicionem autem in populo, qui maximo in eum affectu erat, coorta, juxta *Lactantium* L. I. c. 15. „Proclus est „subornatus, ut renunciaret plebi, vidisse se Regem humano habitu augustiorem, eumque mandasse, ut sibi Delubrum fieret: se „Deum esse, & *Quirinum* vocari. Quo facto & ipsi Populo per-

M

„sua-

„suavit, Romulum ad Deos abiisse, & Senatum suspicione Regiæ
„cædis liberavit.“

II. Primus pariter Liberæ Reipublicæ convulsor, & Augustæ, atque Monarchicæ Potestatis Fundator, viginti tribus vulneribus crudeliter in Senatu confossus, fati cruenti solatium, & quodammodo præmium tulit honorem Divinum, imaginatione Populi, dum in Comete, inter Ludos publicos, ejusdem honoribus ab *Augusto* factos, apparente, anima *Julii Casaris* e cælo radiare crederetur. *Augustus* deinde, qui Majestatem Imperatoriam primus in Augen deduxit, *Numerii Attici* Prætoris, ad hoc mendacium a *Livia* coemti, testimonio, ac jurejurando, quod animam ejus in cælum subvectam vidisset, Deorum numerum auxit. Hæc erant incunabula Consecrationis apud Romanos: unde tam veri Dii, quam vera ipsa fuerant, prodiverunt.

III. Interveniebat in Consecratione *Augusta* Senatus consultum: quod & Scriptorum, & Numerorum testimonio liquet. Unde *Cl. Harduinus*, alia inter argumenta, in *Plinio* suo Tom. II. p. 736. not. 18. conficere voluit, Imperatores fuisse Senatui subjectos: cum non consecret, aut inter Divos reponat, nisi Potestas, eo superior, qui consecratur. Sic ille: advertens insuper, propterea nullos Græciæ, Syriæ, vel Ægypti Reges consecratos reperiri, quoniam ipso jure Natalium Divi erant post mortem. Quod indicat vox ΘΕΟΣ, aliquando Numis eorum adscripta, nihil vero denotans aliud, nisi quod nos innuimus, de defuncto Imperatore, aut Rege, scribentes, *Gloriose memoria*. Apud Romanos, ait, Imperatorem consecrare, non erat, illum facere Deum, sed omnia ejus Acta rata habere, & publica auctoritate confirmare. Belle hoc pacto excusaretur delirium idololatriæ, nisi in Scriptores omnes pugnaret, quibus non pariter, ut ausus est *Harduinus*, ceteri fidem omnem renunciant. Horum perpetuo asserto augustis consecratis erigebantur Tempia, & Sacerdotes dabantur; quod sane novi Dei erat.

IV. Si deinde consecrare Imperatorem aliud non fuerit, nisi Acta ejusdem rata habere: quomodo apud augustas consecratas hoc tuebitur Vir Clarissimus, quarum utique non fuit, Acta publica edere? Senatus itaque Consultum interveniens Consecrationi respectu Imperatorum nil aliud erat, quam executio ejus, quod illi præceperant, aut subinde in speciem rogaverant, precibus, ut

solent Principes, armatis. Nec enim ullo, quod sciam, constat exemplo, Senatum unquam esse renisum, vel Deum factum non esse, quem Imperator consecratum voluerat. Populi vero intuitu hoc Senatus Consultum erat mera promulgatio facultatis, consecrato Divinum honorem impendendi: quemadmodum hodie pariter multa, quæ jubet, aut prohibet Princeps, edicto Magistratum in populum vulgantur.

Si secus foret, & Consecratio augusta mere, pleneque ab auctoritate Senatus pependisset, qua fiducia *Plinius*, ut alia omnia testimonia mittam, ita in cæteris ad Trajanum suum publice declamasset c. II. „Dicavit cælo Tiberius Augustum, sed ut Majestatis nomen induceret: Claudium Nero, sed ut irrideret: Vespasianum Titus, Domitianus Titum, sed ille, ut Dei filius, hic, ut frater videretur. Tu fideribus Patrem intulisti (scilicet *Nervam*) non ad metum civium, non ad contumeliam Numinum, non in honorem tuum, sed quia Deum credis., PUBL. Illustre profecto in rem præsentem hoc testimonium videtur: quo & singulæ Consecrationes diserte ab Imperatoribus, non a Senatu, factæ asseruntur: simul vero Apotheosis ipsa ex additis motivis ejus argute suggillatur.

V.

TULL. Quod stolidæ plebi summa Religio fuit, prudentioribus jam tunc risus erat, ac jocus. *Alexandro M.* per epistolam ab Urbibus Græciæ postulante, ut se Deum facerent, quædam, ut refert *Ælianus Variar. L. II. c. 19.* metu adactæ, quædam commodi sui specie invitata, assenserunt stultæ petitioni. *Lacedæmonii* autem hoc sarcasmo se expediebant: *Quoniam Alexander vult esse Deus, esto Deus.* Sic & *Manilius* in *Astronomico* suo L. IV. v. 948: jocando magis, quam prædicando, de suo tempore cecinit:

VI.

Jam facit ipse Deos, mittitque ad Sidera Numen,
Majus & *Augusto* crescit sub Principe Cælum.

Nec alio, si rem rite expendamus, fuisse sensu *Virgilium* credamus, *Georgicor. I. v. 24.* canentem:

Tu quoque, quem mox quæ sint habitura Deorum
Concilia, incertum est.

Juvenalis pariter Satyr. VI. Imperatores *Rivales Deorum* dixit: ac de unius Consecratione loquens, *Descendere*, ait, *iussit in Cælum*, utrumque irridendo juxta veterem Scholiasten: ad Cælum namque ascenditur, descenditur vero ad inferos.

VII. Ut porro ad Riturum Consecrationis accedamus, prænotabis, eam sic actam fuisse: Primum quidem, ut omnibus manifeste liqueret, ex homine mortali Deum factum esse. Quapropter consecrandus Imperator, etiamsi pridem, aut alibi locorum defunctus fuerit, sic efferebatur, ac si funus ejus præsens adesset, licet pompa multum augustiori. Deinde, ut ad cultum novi Dei non solum ea, quæ tunc erat, sed etiam, quantum fieri poterat, antiqua Roma omnis conflueret. Quæ duo capita fontem, causamque Riturum facile pandent. Hos vero ex *Rosino* Antiquit. L. III. c. 18. col. 473. sqq. transcribo: qui eos cum primis ex *Herodiano*, & *Golzio*, atque *Onuphrio Parvino* exceptit. Prima tamen *Herodiani* verba exceptionem patiuntur, dum scribebat: „Mos est Romanis consecrare Imperatores, qui superstibus Filiis successoribus moriuntur: quique eo honore sunt affecti, relati dicuntur inter Divos., Nam certissimum est, complures Imperatorum, quales v. c. *Commodus*, *Helvius Pertinax*, *L. Verus* fuerant, Deorum numero additos esse, quamvis Filios non reliquerint. His præmissis, Ritus ita fere habebant.

VIII. Tota tunc Urbe lætus erat quidam, feste celebritati, cultique commixtus. Imperator consecrandus, quasi mox defunctus, ritu solito, maxima vero cum pompa efferebatur. Ceream quippe Imaginem, ei simillimam, fingebant, super lectum eburneum, & sublimem positam, vestibis aureis instratam: quam in vestibulo Palatinæ Domus collocabant. Hæc porro Imago, ad ægroti speciem composita, vultu pallido recumbebat. Circum lectum utrinque magnam partem diei sedebant, ad lævam quidem Senatus omnis vestibis atris: a dextris Matronæ omnium illustrissimæ, nullo cultu, sed vestibis albis exilibus mœrentium habitum referentes. Et hæc septem diebus ita fiebant, Medicis quotidie ad lectum accedentibus, inspectumque ægrum se deterius habere subinde pronnçantibus. Dum tandem obiisse jam dictus esset, lætissimi Juvenes tam Senatorii Ordinis, quam Equestris, thalamum honorarium humeris attollentes, vetus in Forum detulerunt, ubi Magistratus imperium deponere consueverant.

Hoc in foro exstructum erat ligneum tribunal, marmorea tamen specie pictum, imposita æde pulchra, columnis undique tra-beata, & pervia, ebore, auroque fulgida: sub qua Lectus novus paratus aderat, stragulis purpureis, auroque intextis pretiosus, & mille anaglyphis, sculpsisque omnis generis animalium, pisciumque capitibus decorus. Utroque ex latere sedilia erant, scalarum in formam gradatim structa: in quibus hinc puerorum nobilissimorum patritiorum, inde Virginum illustrium chorus, alternis modulis, hymnos, ac pœana, laudesque defuncti, lamentabili tamen carmine, concinuerunt. Interea sub hoc pegmate Imago Augusta triumphali ritu collocata, rursus quievit, ephebo elegantissimo muscas a facie Principis abigente. Nania finita, processio ulterior Martium in Campum instituebatur. Vero autem simillimum est, cum hoc in foro etiam Rostra existerent, hic quoque Laudationem funebrem, vel ab ipso Imperatore, vel Caesarum aliquo, vel alio substituto claro illustrique Oratore, declamatum esse. Sub qua Senatores, pro argumenti modo, plauserunt, aut ingemuerunt. Commota vero lectica, sive ficto, sive vero dolore, omnes vehementer lamentati esse, scribuntur.


Processionis ordo hic erat: Primum anteferebantur, aut etiam curribus inuenta sunt Simulacra splendidissima omnium veterum Romanorum illustrium, qui unquam ab ipso *Romulo* usque *illuc*, *Muniis*, *Factisque* insignibus, vel *Triumphis* inclaruerant. Sequebantur *Provinciarum*, ac *Nationum* omnium, Romano Imperio subditarum, vivæ quodammodo *Imagines*, cum *vestibus*, ac *Signis*, cuilibet propriis. Tum varia minorum in Urbe Magistratum genera, item *Lictorum*, ac *Præconum* turmæ succedebant. Has exceperunt *ingentia Peditum*, *Equitumque* agmina, certatores equi, currus agiles, & quidquid fuerat amplissimi, magnificique, ab omnibus *Ordinibus*, ac *Provinciis* profuse conlati apparatus, ad *Ludos*, ac *Parentationem* solemnissime instruendam. Deinde *majorum* inter *Magistratum*, ac *Senatorum*, præeuntium, & *insequentium* longam seriem, sub *tubarum*, *tibiarumque* clangore, & *adlucente* *lychnorum* copia, *imago* consecrandi *Principis*, pretiosa in *lectica*, *humeris* equitum *sublimis* ferebatur, *stipante* *Aula*, & *succedente* *Populo* quasi *universo*, *Legionibus* demum *nonnullis* *chorum* *claudentibus*.

XI. Rogi magnificentiam quis describat? Combustioni quidem lignis, ac stramine, interius aptatus erat: exterius vero ad elegantiam ejus, ac splendorem procurandum, se tam Ars, quam Opulentia omnis exhaustisse videbantur. Nulla quippe Gens, nulla Civitas insignior erat, quæ non in Principis, novique Dei mox futuri hanc pompam opulentissima munera certatim submiserit. Omnia igitur stautis, coronis, stragulis aureis, gemmis, ac monilibus, ab imo ad summum, per omnes altissimæ Pyræ substructiones radiabant. Sertorum, ac palmarum ornatus perpetuus fuit. Thuris, & aromatum injectorum infinitus quasi numerus. Per angulos omnes erigebantur Trophea: apicem Quadriga triumphalis exornavit. Quæ cum omnia flammis duntaxat, mox absumenda, pararentur, vivum erant humanæ vanitatis theatrum. Poterat hoc spectaculo quasi exhibitus videri contemptus omnium rerum terrenarum præ Cælo, si is, cui tanta fiebant, non dico vere Deus, sed vere beatus evasisset: a quo tamen eundem infidelitas exclusit.

XII. Antequam ignis Rogo subjiceretur, Imagini defuncti tam Imperator, quam Propinqui, & Agnati, suprema oscula figebant. Facto deinde publico omnium confessu, fiebant Ludi funebres: dum Equitatus omnis, certa lege, motuque, ac numero pyrrichio, circum pyram in orbem decurreret, Peditatus quoque militum saltus ad numerum faceret, & currus pariter, quibus insidebant, qui simulacra Quiritum veterum gestabant, composito, decentique ordine circumagerentur. Post hæc demum Imperator, arrepta fatali face, Rogum primus accendit: mox & Senatores, Magistratus, ac Populus, omni ex parte ignem subjecerunt, nequam vero, ut alio in funere, aversis vultibus, sed fixis in Rogum oculis, quoniam Ara novi Dei erat, unde nihil non salutare sperabatur. Confurgente autem jam flamma, & inferiores Pyræ contignationes undique lambente, ex apice supremo, quem fumus circumdabat, Aquila viva emittebatur: quæ, veluti nubibus circumsepta, famulis alis animam in cælos efferre, choroque Deorum inferre, ingenti cum delirio existimata fuit. Quo facto, Defunctus jam Numen erat, thusque, & victimas, Aras, ac Tempia, & Sacerdotes proprios accepit.

PUBL. Quanta simulatione homines falluntur, & fallunt! Quos aut irridebant viventes, aut execrabantur, vel plane occiderunt, eos defunctos adorarunt. Hinc patet infirmitas cordis in turbine multitudinis. Quotusquisque est, qui non eat, quo plurimi? TULL. Ire contra torrentem, in quo quis deprehenditur, humanæ fortitudinis non est, sed Virtutis ex alto sustentantis. Nec etiam de quoquam unus omnium est sensus: uti nemo tam bonus, qui nulli malus, neque tam malus est aliquis, ut nulli bonus videatur, aut sit. Cumprimis ille, cui pro potestate, ut libet, sunt manus plenæ irarum, vel alibi gratiarum, tantis fere gratus est, quantis invisus. Quod ergo multi, & maxime Populi integri, simul agunt, pars quidem simulat, pars contra serio agit. XIII.

Tu jam ad Numos te compara intuendos, & explorandos: quorum in hac ultima Parte quinque supra triginta tibi pinxi, sub duo solummodo Capita revocatos. Primum eos complectetur, in quibus Consecrationis Augustæ Symbola, & lemmata comparent. Alterum Numos referet, quos antecedentibus Imperatoribus, Memoriam restituendæ causa, posteriores Augusti, cum Divorum elogio, non infrequenter signarunt. Multi sunt hi postremi, quinimmo plurimi, sed adeo parum imaginibus, & epigraphis discreti, ut, qui paucos earum viderit, omnes prope cæteros intelligat. XIV.



DIALOGUS VI.

Numi Julii Cæsaris, & Augusti Divorum.

PUBLIUS.

- I. **S**unt mihi Numi duo ærei magni, quorum neutrum pinxisti, consimiles ambo, in Adversa cum capite laureato, ac titulo: DIVOS JULIUS: in Aversa cum capite nudo, ac nomine: CÆSAR DIVI F. *ilius*. Primus vero tuæ Tabulæ I. TAB. I. N. I. Numus in Adversa redhibet Caput laureatum, imposita Stella crinita, absque nomine: quod in Aversa intra Sertum laureum sic habet: DIVOS JULIUS. Cur non *Divus*? TULL. Pictum a me Numum protulit *Aneas Vicus* ære Augusti 49. quem, uti & superiores tuos, retulit quoque *Argelatus* p. 8. semper tamen *Divus* posuit. Cl. *Harduinus* in *Plinio* suo Tom. I. p. 401. not. 36. agnoscit, scriptum in quibusdam Numis *Divos*: quoniam vero in casu nominandi sic latine non dicitur, hac voce resoluta, sic ipse legit; *Divus J. unctus V. veneri O. orbis S. idus JULIUS. Veneri*, tanquam Genetrici: quia Gens *Julia* originem suam repetiit a *Julio Ascanio*, filio *Aeneæ*, quem *Anchises* ex *Venere* genuisse fingebatur.
- II. Huic expositioni, quam equidem hoc ænigmate absconditam fuisse non reor, favere tamen posset, quod *Ovidius* *Metam. L. XV. fab. ult. cecinit*, *Jovem, occiso Cæsare, Veneri sic loquentem inducens*:

Hanc animam interea, cæso de corpore raptam
 Fac *ſubar*, ut semper Capitolia nostra, forumque
Divus ab excelsa prospectet *ſulius* æde.

Item ea, quæ postea *Venerem* egisse subjunxit, modum *Apotheosis* exponens:

Cæsaris eripuit membris, nec in aera solvi
Passa recentem animam, coelestibus intulit Aftris,
Dumque tulit, Lumen capere, atque ignescere sen-
fit,

Emisitque simul, simul altius evolat illa,
Flammiferumque trahens spatioso limite crinem,
Stella micat.

Ita confinxit *Naso* e publico vulgi delirio. Scripsit enim *Suetonius* de *Cæsare* cap. ult. „Periit sexto & quinquagesimo ætatis anno: „atque in Deorum numerum relatus est, non ore modo decernentium, sed & persuasione vulgi. Siquidem *Ludis*, quos primo „consecratos ei *Hæres Augustus* edebat, *Stella crinita* per septem „dies continuos fulsit, exoriens circa undecimam horam. Credi- „tumque est, Animam esse *Cæsaris* in cælum recepti: & hac de „causa simulacro ejus in vertice additur *Stella*..

PUBL. Nihil adeo varium, ac mutabile, quam *Vulgus*.
Hodie occisum, cras rapuit ad *Aram*. TULL. Amavit *Populus*
Cæsarem: Occisores ejus paucos privatum odium, immo verius,
cum omnes ab ipso beneficiis ornati fuissent, Libertatis patriæ
conservandæ studium: in ejus necem armavit. Ideo perpetrata
cæde, incluserunt se *Capitolio*, non ante prodeuntes, quam deli-
cti veniam, publice sibi quorundam suasu factam, intellexissent.
Sed *M. Antonio* ad rogum *Cæsaris* perorante, ejusque capite, cera
sic efformato, ut vulnera recepta in eo apparerent, togaque illius
cruenta in altum sublatis, revixit, immo sic recruduit amor *Populi*
in eum, ut *Sicarii* ejus ingenti cum tumultu quærerentur ad necem,
& ægerrime tunc quidem effugerent, postea tamen omnes
interirent.

PUBL. Numus alter græcus in *Adversa* Caput habet in co-
ona radiante, qualis *Divum* decet, cum epigraphæ: Λ. ΙΟΥΛΙΟΣ
ΚΑΙΣΑΡ ΘΕΟΣ: i. e. C. *ajus JULIUS CÆSAR DEUS*. In *Aver-*
sa comparet *Luna* crescens, ac desuper *stella crinita*. Infra lego:
ΣΕΒΑΣΤΟΣ: i. e. *AUGUSTUS*. Rectene omnia? TULL. Opti-
me. Hujus, aut alterius potius consimilis *Numi* *Aversam* attulit

Patinus Impp. p. 33. & ait, Lunam falcata, cum *Cæsaris* Astro, ab ignota quapiam Urbe græca signatam fuisse *Augusto*, ut cum in Patre, a quo adoptatus erat, eademque fidelia Patrem quoque in ipso honoraret.

V. Aptius vero in rem loquitur *Festus* ad *Virgil.* *Æneid.* V. v. 681. qui sic habet de *Augusto*:

- - - - geminas cui tempora flammæ
Læta vomunt, Patriumque aperitur vertice
Sidus.

Ad hoc *Servius* inquit: „*Apparet Sidus in vertice*, h. e. super galileam. Nam ex quo tempore per diem stella visa est, dum sacrificaretur *Veneri* Genetrici, & Ludi funebres *Cæsari* exhiberentur, ac per triduum stella apparuit in Septentrione: id *Sidus Cæsaris* putatum est, persuadente *Augusto*. Et ideo *Augustus* omnibus statuis, quas ob Divinitatem *Cæsari* posuit, hanc Stellam adjecit. Ipse vero in honorem Patris stellam in galea cœpit habere depictam.”

VI. Consonat his *Plinius* L. II. c. 25. ajens. „*Cometes* in uno totius orbis loco colitur in templo Romæ, admodum faustus Divo *Augusto* judicatus ab ipso: qui, incipiente eo, apparuit ludis, quos faciebat *Veneri* Genetrici, non multo post obitum Patris *Cæsaris*, in Collegio ab eo instituto: Namque his verbis id gaudium prodidit. (Iis ipsis Ludorum meorum diebus Sidus crinitum per septem dies in regione cœli, quæ sub Septentrionibus est, conspectum. Id oriebatur circa undecimam horam diei, clarumque, & omnibus e terris conspicuum fuit. Eo sidere significari *Vulgus* credidit *Cæsaris* Animam, inter Deorum immortalium Numina receptam. Quo nomine id Insigne Simulacro Capitis ejus, quod mox in Foro consecravimus, adjectum est.) Hæc ille in publicum, interiore gaudio, sibi illum natum, sequens in eo nasci, interpretatus est. Et si verum fatemur, salutare id terris fuit.”

VII. PUBL. Abunde jam teneo Stellæ rationem, non solum in anterioribus, verum etiam in subsequens duobus Numis.
Quorum

Quorum prior in Averſa nihil monſtrat, niſi Cometam grandem, TAB. I.
 ſupremo radio flammante. Supra, infraque ſcribitur: DIVI JU- N. III.
 LI: ſcilicet Aſtrum. TULL. Intercedit iterum huic leſioni Cl.
Harduinus, negans, nomina propria gignendi caſu apud Latino-
 rum Numos unquam ſcripta fuiſſe. Quare, juxta interpretatio-
 nem ſuam, ſupra jam ad Numum I. allatam, hic pariter legen-
 dum cenſet: D. ivus J. unctus V. eneri I. mperator JULI. us. PUBL. N. IV.
 Numus poſterior Templum ſiſtit hexaſtylon, ſive ſex columnarum,
 cum cupola rotunda, cui Stella inſidet: ſub eo eſt Statua Cæſaris
 in baſi, Auguris habitu, capite, ac corpore velato, dextra litum
 gerens, lava ſuſtinens haſtam. Circum lego: C. ajus CÆSAR
 PARENS PATRIÆ. Infra: Ex S. enatus C. onſulto.

TULL. Uterque hic Numus eſt apud *Golzium* in Cæſ. Tab. VIII.
 XVII. n. 3. & 8. qui deinde in Vita p. m. 159. ſic refert. „Ma-
 „gna pars Populi per totam noctem ad Rogum pernoctavere.
 „Poſteaque eo loco, quo Rogus fuerat in Roſtris, Aram Populus
 „poſuit: addita poſtea & ab *Antonio* columna XX. pedum exlapi-
 „de Numidico ſolida, cui inſcripſerat: *Parenti Patrie optime merito.*
 „Apud quam Populus aliquamdiu ſacrificare ipſi, tanquam Deo,
 „vota ſuſcipere, & controverſias etiam, concepto per Cæſarem
 „jurejurando, dirimere perſeveravit. Sed hæc Ara, cum Colu-
 „mna, haud multo poſt a *Dolabella* Conſule diſturbata, & ſolo
 „æquata eſt. - - - Pro ea Templum ipſi eodem fere lo-
 „co *Auguſtus* conſtituit &c. De Elogio ſic ratiocinatus eſt *Har-*
duinus in *Plin.* ſuo p. 393. not. 9. Aliud longe eſt *Parens*, aliud
Pater Patrie. Prior ille, cui Patria ſalutem, libertatem, incolumi-
 tatem acceptas refert, ut vitam Parenti Liberi. *Pater* dicitur, qui
 pro Patria, ut pro Liberis *Pater*, Sacra ſolemnia peragit ſtatis die-
 bus. Sic ruruſum ille opinatur ſingulariter, non vero probat.

PUBL. Sequuntur jam Numi *Auguſti*: quorum primus Capi- IX.
 te niter laureato, impoſita Stella, cum lemmate: DIVOS AU- TAB. I.
 GUST. us DIVI F. ilius. TULL. Exhibuit hunc Numum argen- N. V.
 teum Cl. *Harduinus* in *Plin.* Tab. VI. n. 16. & expoſuit Tom. I.
 p. 401. not. 36. vocem *Divos* ruruſum diſſecans, ac legens. D. i-
 vus J. unctus V. eneri O. rbis S. idus AUGUST. us DIVI F. ilius. In
 Adverſa circum Caput laureatum legitur: TI. berius CÆSAR DI-
 VI AUG. uſti F. ilius AUGUSTUS. Hæc Expoſitio, jam tertium
 a me allata, belle congrueret cum incomparabili Achate Sanctæ

Capellæ Parisinæ, ovalis formæ, & longitudine pedem Geometricum Viennensem probe adæquante, latitudine vero maxima decimum pollicem fere explente, atque *Augusti* Apotheosin exhibente: si supremæ partis ejus figuras accipere placeat ad *Montfalconii* sensum, qui hanc maximam Gemmam, qua est magnitudine, Antiquitat, Tom. V. Part. I. Tab. CXXVII. ad p. 154. evulgavit.

X.

Medium ibidem in summo tenet figura sedens capite radiante, ac velato, togata, cum sceptro: in qua ipse *Venerem* agnoscit. In sinu ejus, statura virili, situ autem transverso, recubat figura militaris, quam putavit *Æneam* filium hujus *Dæ*: qui *Augusto* a dextris adequitanti super *Pegasus*, quem *Cupido* freno ducit, orbem, i. e. Imperium, offert. Ad lævam aere libratur *Jul. Cesar* laureatus, prælato clypeo, forte illo, quem, ut *Virgilius* *Æneid.* VIII. prope finem confinxit, *Vulcanus* ad preces *Veneris* pro *Ænea* fabricaverat. In quo *res Italas*, *Romanorumque Triumphos*, haud *Vatum ignarus*, venturique *inscius ævi*, fecerat *Ignipotens*: ubi genus omne futura *Stirpis ab Ascanio*, pugnataque in ordine bella expresserat. Mediam, & infimam hujus Gemmæ partem, quæ familiam *Augusti*, item hostes devictos exhibent, non exequor, cum nihil huc conferant. Id solummodo commemoro, alios celebres Antiquarios ante *Montfalconium* aliter longe sensisse, & in figura media, quæ, si *Venus* esset, *Harduino* plurimum faveret, vel *Jovem*, vel ipsum *Augustum* contemplatos fuisse. Hæc interim ex occasione: nam Gemmæ, quæ semper admodum dubiæ interpretationis esse solent, nostri argumenti non sunt.

XI.

TAB. I.
N. VI.

PUBL. Numus sextus æreus medius, ac meus, Caput refert radiatum, cum fulmine ante vultum, nota utique Divinitatis, quæ indicet, *Augustum* ad curiam, & Concilium *Jovis*, inque fulminis communionem admissum esse. Nam docuisti me Parte IV. ad Numum *Palladis*, creditum fuisse ab idololâtris, *Jovem* quidem habere fulmen princeps, ac fortissimum: complures vero, nisi omnes alios Deos, Deasque, pariter tenere fulmina, sed infirmiora. Epigraphæ hic est: DIVUS AUGUSTUS PATER. In *Aversa* sedet *Fœmina* velata, cum hasta, in cujus apice quasi liliam, nulla epigraphæ, præterquam S. C. adjecta. TULL. Forte hic *Livia* sedet, quæ *Augusti* conjugis Consecrationem procuravit, aut saltem urfit magnopere, coemto in hunc finem *Numerio Attico* Præto, ut juraret, se Animam *Augusti* in astra subvectam jucunde contui-

tum

tum esse. Divo dicto, prima ipsa ejusdem Sacerdos thura ministravit.

PUBL. Qui hunc excipit, Numus græcus, rursus nitet capite radiato, cum Stella ante vultum. Epigraphe: ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΘΕΟΣ: i. e. AUGUSTUS DEUS. Sideris rationem ex anterioribus nosco: reliqua hujus Numi, cujus typum duntaxat gypseum absque Aversa teneo, me latent. TULL. Nec ego eundem alibi reperi: unde nec de Aversa, neque de Urbe, quæ hunc Numum signavit, hætenus mihi constat. PUBL. Octavus Numus æris medii, bellus & integer apud me existens, cum Capite nudo in Adversa, & nomine: DIVUS AUGUSTUS: in Aversa eundem laureatum, ac togatum, sedentem exhibet in sella curuli, oleæ ramum dextra extenta præferentem. Circum lego: CONSENSU SENATUS ET EQU. *esfris* ORD. *inis* P. *opuli* Q. *ue* R. *omani*. Statuam Augusti hic me videre existimo. TULL. Recte vides. PUBL. Non multum absimilis est Numus nonus, ubi denuo confidet Augustus, in corona radiante, togatus, ad aram ardentem, cum patera, læva sustinens hastam. Epigraphe: AUGUSTO DEO. Vera hæc Dei forma est. Nam patera, & hasta, quæ vicem sceptri subit, propria Deorum insignia sunt. Ara cultus divini est index, non, quem impendat ipse, sed a devotis recipiat. TULL. Probe singula. Edidit hunc Numum *Æn. Vicus* ære Aug. 37. unacum sequenti ære 20. PUBL. Nihil is nisi Fulmen refert, grande, & alatum, cum Nomine: AUGUSTUS: & literis: S. C. satis luculentum Consecrationis, ac Divinitatis testimonium.

TULL. Proximos duos Numos e *Patino* tibi excepi Impp. p. 40. Quorum prior Templum hexastylon exhibet, cum pinnis, tectoque acuto, absque Statua: extra illud vero, hinc, & inde, supra bases altas consistunt Bos, ac vitulus, tanquam victimæ paratæ. Literarum nihil, præter S. C. In altero Bos victimarius, tanquam jam ictus, capite procumbit, legiturque desuper: AUGUSTUS DIVI F. *ilius*. Tertium recenset *Argelatus* p. 45. Comparet in eodem Ara, peristromate ornata, supra quam fulmen cubat, infra consistente Aquila, quæ animam in Cælum vererit. Epigraphe: CONSECRATIO. Nihil est, quod in his te moretur.

DIALOGUS VII.

Ulteriores Consecrationis typi in aliorum Augustorum, & Augustarum Numis.

P U B L I U S.

I. **G**Ratissima mihi fuit tot elegantium hæcenus Typorum, Consecrationem redhibentium, varietas: non minus autem jucunda sunt, quæ totidem adhuc restant, ejusdem argumenti pulcherrima schemata, omnia prope mihi peregrina. Primum horum Phœnicem habet, capite radiante consistentem in monte, cum oleæ fronde in rostro, addita voce: **CONSECRATIO.** Fictæ Apotheosi ficta hæc Avis optime congruit. **TULL.** *Trajani* hunc Numum laudat *Argelatus* p. 163. *Spartianus* porro de *Adriano* sic narrat. „*Trajano* Divinos honores, „datis ad Senatum, & quidem accuratissimis literis, postulavit, „& cunctis volentibus meruit, ita, ut Senatus multa, quæ *Adrianus* non postulaverat, in honorem *Trajani* sponte decerneret. „Contra de ipso *Hadriano* ita retulit *Dio Cassius.* „Cæterum *Hadrianus*, „quamquam humane, & moderate imperasset, tamen propter cædes optimorum quorundam, quos in principio Imperii, „& antequam vita decederet, interfici curaverat, multum calumnix, etiam infamix subivit. Quapropter minimo minus in „Deos relatus non fuit. „Sic iste quidem. *Capitolinus* tamen in *Antonino* inquit. „*Adriano* apud *Bajas* mortuo, reliquias ejus Romanam pervexit sancte, ac reverenter, atque in hortis *Domitix* collocavit. *Etiã repugnantibus cunctis, inter Divos eum retulit.* „

II. **PUBL.** Qui hunc excipit, Numus æreus magnus, e meis est: **TAB. I.** in cujus Adversa circum Caput nudum scribitur: **DIVUS ANN. XV. TONINUS.** Aversam ornât Rogus, quintum substructus, absque imaginibus, attamen stragulis, ac fertis decorus: e cujus apice **Aqui-**

Aquila evolat. Circum: CONSECRATIO. In alio porro con-
simili Numo meo magno Templum est in Averſa, ſub quo Statua.
Epigraphe: DIVO PIO. De hoc ſpecioſe *Capitolinus*: „Cum
„jucunditate a Senatu *Divus* eſt appellatus, cunctis certatim adni-
„tentibus: cum omnes ejus pietatem, clementiam, ingenium,
„ſanctimoniam laudarent. Decreti ſunt etiam omnes honores,
„qui optimis Principibus ante delati ſunt. Meruit & Flaminem,
„& Circenſes, & Templum, & Sodales *Antoninianos*.,

PUBL. Iterum apud me ſunt proximi duo Numi ærei me- III.
dii, ambo cum Capite *Fauſtinæ* Senioris in Averſa, ac titulo: DI- N. XVI.
VA FAUSTINA. Averſa prioris eam Orbi ſiſtit inſidentem, ex- & XVII.
tenta dextra, cum haſta in læva. Pone: S. C. circum: ÆTER-
NITAS: ad quam ſcilicet nova hæc Dea de orbe abierit. Alter
eam redhibet Pavoni late inſidentem, tanquam novam Junonem,
& utraque manu elata velum ſupra caput explicantem, in quo
Stellæ coruſcant. Lemma: CONSECRATIO. Nihil negotiū
faceſſunt ejusmodi Numi, qui ſeipſis omnia pandunt. TULL.
Decumanus apud *Argelatum* hujusmodi Numorum eſt numerus, qui
Conſecrationem teſtantur, maxime hujus *Fauſtinæ*, de qua *Capitoli-
nus*, in Anton. „Tertio anno Imperiū ſui *Fauſtinam* uxorem per-
„didit: quæ a Senatu conſecrata eſt, delatis circenſibus, atque
„Templo, & Flaminicis, & Statuis aureis, atque argenteis.,

PUBL. Primus quoque Tabulæ tuæ II. Numus mihi obtigit
in ære medio, cum Capite radiante, & elogio: DIVUS M. arcus IV.
ANTONINUS. Averſa nil habet, niſi Fulmen grande. Cir- TAB. II.
cum: CONSECRATIO. Teneo autem præterea duos alios ejus- N. I.
dem æreos Numos, cum eodem lemmate: quorum unus Rogum
habet ſatis celſum: alter Aquilam ſuper orbe conſiſtentem.
TULL. Audi de ipſo denuo *Capitolinum* prædicantem. „Cum
„igitur in amore omnium imperaſſet, atque ab aliis modo Frater,
„modo Pater, modo Filius, ut cujuſque ætas ſinebat, & diceretur,
„& amaretur, octavo decimo anno Imperiū ſui, ſexageſimo &
„primo vitæ, diem ultimum clauſit. Tantaſque illius amor eo die
„regiū funeris claruit, ut nemo illum plangendum cenſuerit, cer-
„tis omnibus, quod a Diis commodatus, ad Deos rediſſet. Denique
„priuſquam Funus conderetur, ut plerique dicunt, quod nun-
„quam

„quam antea factum fuerat, neque postea, Senatus, Populusque,
„non divisis locis, sed in una sede, *propitium Deum* dixit.,

V. PUBL. Alter a superiore Numus tuus Fœminam ostendit, bi
TAB. II. gis equorum investam, quæ velum stellatum supra caput suum
N. II. evolans explicat. Epigraphe: *SIDERIBUS RECEPTA*. In-
fra: S. C. TULL. Hunc Numum *Faustinae* junioris, quam *Pius*
filiam, & *Marcus* conjugem habuit, *Argelatus* argenteum, & æreum
laudavit p. 130. & 32. Neque hoc lemma in ullo alio Numo
commemorat, qui vero pariter nulli dubio substat. Epigraphe
Adversa circum Caput fœmineum est: *DIVA AUGUSTA FAUS-
TINA*. Eius Apotheosin sic prosequitur *Capitolinus*. „*Fauslinam*
„uxorem suam, in radicibus montis Tauri in vico Halale exanima-
„tam subito morbo, amisit. Petiit a Senatu, ut honores *Fausline*,
„ædemque decernerent, laudata eadem, cum tamen impudicitia
„fama graviter laborasset: quæ *Antoninus* vel nescivit, vel dissimu-
„lavit, Novas Puellas *Fauslinianas* instituit in honorem uxoris mor-
„tua. *Divam* a Senatu appellatam gratulatus est: quam secum &
„in æstivis habuerat, ut *Matrem Castrorum* appellaret. Fecit &
„*Coloniam vicum*, in quo obiit *Fauslina*, & ædem illi extruxit.,
PUBL. Longe dispar est hæc narratio a superiore *M. Aurelii* elogio,
Imperatoribus omnibus invidendo. Sed si ipse omnes Optimi
Principis partes impleverit, obviat virtuti ejus conjugis impuræ
usque ad Aras commendatio: quod sane Philosophiæ, quam ipse
alias omnibus vitæ suæ actionibus profiteri studuit, maxime re-
pugnat.

VI. Tertius porro Tabulæ tuæ Numus græcus tuam postulat re-
TAB. II. censionem. TULL. Vides in Adversa Caput fœmineum cum
N. III. pharetra post cervicem, sagittis oppletam. Ante vultum scribi-
tur: ΠΕΡΣΙΚΗ. Aversam occupat Ara succensa, cum epigraphe:
ΙΕΡΟΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. Excepi hunc Numum ex *Plinio Harduiniano*
Tab. V. n. 2. quem vir Cl. exponit Tom. I. p. 280. ingenii sui
denuo exercendi opportunum in eo campum se reperisse confisus.
Ait eum esse *Hierocæsariensum* in Lydia, quorum est Nomen græ-
cum Aversæ: cui autem Imperatorum ab iisdem signatus fuerit,
cum neutra facies indicet, suæ id. putat perspicaciæ relictum, Vox
ΠΕΡΣΙΚΗ i. e. *Persica*, quosdam induxit, ut crederent, Caput hic
esse

esse vel Dianæ Persicæ, vel Amazonis, aut Genii Persicorum: quos aliquando se cum errore secutum fatetur, ac dolet *Harduinus*. Nunc vero a disiectis literis consilium capere assuetus, Dianæ quidem caput pharetratum hic agnoscit, tanquam symbolum venationis optimæ in tractu Hierocæsariensium: Aram autem Aversæ habet pro solito symbolo Consecrationis. Et quoniam hæc apud Græcos καθιέρωσις, ut in *Cari*, aliorumque Numis dicitur: literæ Π. & Κ. deduxerunt eum ad *Helvii Pertinacis* Consecrationem hic intelligendam. Vocem itaque ΠΕΡΣΙΚΗ sic dividit, ac interpretatur: ΠΕΡ. τινάκα Σ. εβαστόν Ι. ερεΐς Κ. καθιέρωσαν Ἡ. ρωκλῆς: i. e. *Pertinacem Augustum Sacerdotes Herculis consecrarunt.*

Ego vero hic desidero indicem *Pertinacis*, qui sit extra so- VII.
lam Interpretis mentem, ipsoque in Numo manifeste appareat, nem Sacerdotum, & Herculis. Et cum præterea Vir Clarissimus, quemadmodum supra *Dial. V. n. 3.* dixeram, ex eo, quod Romæ Consecratio Imperatorum interveniente Senatus consulto sit facta, intulerit, Imperatores fuisse Senatui subjectos, quoniam juxta ipsum non consecrat, nisi Potestas superior: nosse vellem, an Imperator *Pertinax* Collegio quoque Sacerdotum Herculis apud Hierocæsaream subditus fuerit? Secare hunc nodum forsitan facilius fuerit, quam solvere. Cæterum paulo ante ex *Capitolino* audisti, *Hadrianum*, etiam repugnantibus cunctis, ab *Antonino Pio* inter Divos relatum esse: quod pariter in *Harduinum* oppido pugnat. Ara frequenter quidem Consecrationis est symbolum, sic tamen, ut præter eam alia sint adhuc in Numo, quæ Divum aliquem, aut consecratum designent. Secus autem Sacerorum, aut Sacrificiorum est index: uti & hoc præsentē in Numo Dianæ Sacra, Hierocæsareæ solemnia, & frequentia, haud immerito innuere possit.

PUBL. Misso hoc ænigmate, proximum pergo ad Numum, VIII.
in quo Luna septem inter Stellas fulget, diserto cum nomine: TAB. II.
CONSECRATIO: quæ nimirum nihil aliud est, quam transla- N. IV.
tio ad Sidera. TULL. Hunc Numum *Argelatus* p. 264. in *Pescennio Nigro* laudat ex *Vaillantio*, & adnotat, Historicis tacentibus, hoc solo monumento constare de hujus infelicis Augusti, *Sept. Severo* æmuli, consecratione: licet adhuc ignotum sit, quisnam posteriorum Imperatorum eidem hunc honorem impende-

rit, vel saltem, quod ego reor, hoc titulo memoriam ejus restituerit.

IX.
N. V.

PUBL. Subsequens Numus æreus parvus mei cimelii refert in Adversa caput femineum velatum, cum nomine: DIVÆ MARINIANÆ. In Aversa Pavo caudam suam, cum speculis plurimis, admodum superbus elegantissime explicat. Pone pedes est S. C. Circum: CONSECRATIO. Hæc Avis, ante alias omnes, imaginem Cœli stellati speciosissimo syrmate suo pulcherrime refert, ac simulat. TULL. Protulit hunc Numum tuum etiam *Patinus* p. 325. *Argelatus* vero p. 369. plures hujus Augustæ Conjugis *Valeriani* Numos recensuit, omnes cum Pavone qui tamen jam solus adstat, jam vero Divam, insidentem sibi, quasi ad Sidera defert, in Aquilæ vicem, quæ Imperatoribus hoc officium præstitit.

X.
N. VI.

PUBL. Succedens denuo Numus Capite nitet juvenis Principis laureati, infra quod Aquila lætas alas expandit, eidem quasi terga supponens. Pone faciem litera I. forte numeralis. Circum: ΠΘ. ΔΙΚ. ΣΑΛΩΝ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟΣ. Rectene lego latine: PU. blius LIC. inius SALON. inus VALERIANUS? TULL. Optime. Reddidit hunc oppido rarum æreum Numum *Patinus*: cui alterum præmisit, in quo hic juvenis Princeps Aquilæ insidet, cum deserto lemmate: CONSECRATIO. Unde hujus Numi præsentis, qui est *Pergensum* Pamphiliæ, par argumentum liquido ipsi patere videtur. Fuit *Saloninus* filius *Gallieni* ex Matre *Salonina*, & *Cornelii Valeriani* frater, Cæsar dictus a Patre, inque Galliam submissus, atque *Postumo* in tutelam concreditus. Galli vero puerilem principatum despicientes, ipso interemto, *Postumum* Augustum acclamarunt. Quare *Saloninus*, teneræ ætatis causa, Aquilæ, eundem in cælum subvecturæ, pondus exiguum fecit.

XI.
TAB. II.
N. VII.
* VIII.

PUBL. Duo nunc veniunt Numi, uterque cum splendido Rogo, tertium, quartumve substructo, porticibus, ac Statuis ornato: quorum primo biga, alteri quadriga equorum insistit, Principe utrobique conspicuo, brachia in cælum expandente. In ambobus legitur: CONSECRATIO. Infra in posteriore scribitur: P. excussa TR. eviri. TULL. Utrumque hunc aureum Staterem rarissimum exhibuit *Gotha Numar.* p. 74. & 80. Adversa primi circum caput juvenile nudum habet: DIVO NIGRI-
NIANO. Hic Princeps, quem inter *Aureliani*, & *Cari* tempora


constituunt, cujus Filius, Nepos, aut cognatus fuerit, necdum a certantibus viris doctis definitum. Alter circum Caput senile sic refert: **DIVUS CONSTANTIUS**: nempe *Chlorus*. De eo *Eumenius* in Panegyri ad filium *Constantinum* M. ita in cæteris agebat: *Purpuram statim tibi - - - milites - - - injecere lacrimanti. Neque enim fas erat, diutius fieri Principem consecratum.*

PUBL. Claudis hoc Caput minimo æreo Numulo meo, utraque facie picto: in cujus Adversa circum caput senile velatum lego: **DIVO CLAUDIO OPTIMO**: scilicet Gothico. Ante vultum est Lunula, superposita stella. In Aversa denuo ipse sedet, velatus capite, corpore togatus, dextra elata, læva sceptrum tenens militare situ transverso. Epigraphe: **REQUIES OPTIMORUM MERITORUM**. Id, quod in alio quoque Numulo meo *Maximiani* Herculei lego. Vix ullum porro in omnibus, quoscunque tractavimus hætenus numis, Elogium isto mihi elegantius videtur, ac Defuncto bene merito laconica brevitate laudem, ac gloriam ampliorem impertiens. Magna quippe merita aliter, ac magnis laboribus, colligi nequeunt: quorum dulcem requiem sola mors in mercedem jucundissimam confert. **TULL.** Probe sentis, mortem beatam si intellexeris: qualis infideli contingere non potuit. Cæterum ne Sancto quidem, ejusque *Lypsanis* piis, clariorem Panegyrim inscripseris.

PUBL. Est mihi adhuc Numulus æreus, priore pusillior, in cujus Adversa circum Caput velatum scribitur: *D. ominis N. oster* **CONSTANTINUS P. ius F. elix** **AUG. uslus**. In Aversa idem velatus totus, quadrigis equorum insistent, dextram porrigit manui, e nubibus extentæ, nullo lemmate addito. Nunquid & hic Consecrationis typum agnoscam, sed in Principe Christiano sacrilegam? **TULL.** Etiam *Patinus* p. 370. consimilem Numum attulit: ubi vero non quadrigæ, sed bigæ duntaxat, & quidem Cervorum, non Equorum, pinguntur, absque manu cælesti. Tuum porro, & alios adhuc, *Argelatus* quoque p. 469. tanquam Consecrationis Monumenta commemorat: id, quod ego non affirmem. Si tamen ita sit, existimare liceat, recens inductam Christi fidem adversus idololatriam non statim sic obtinuisse, ut omnium animis antiqua superstitione, etiam Imperatoria potestate, tum eximi, tum undique vetari potuerit.

XIV. Libet autem nunc ex Cl. *Fralichii* Dissertatione de Numis Monetariorum Veterum culpa vitiosis tria huc attinentia Exempla in medium tibi proferre. Primum est Numus argenteus *Traiani* ibid. *Tentam.* p. 373. in cujus Adversa circum Caput laureatum legitur: IMP. *eratori* CÆS. *ari* D. *ivo* TRAJANO OPITIMO AUG. GER. *manico* DAC. *ico*. Ubi prorsus insolitum, cum elogio *Divi*, defunctis proprio, conjuncta esse viventis præconia *Imp. Caf. Germ. Dac.* Quod autem excusari forsitan possit vel per tuos etiam Numos altero Dialogo afferendos, *Maximiani*, & *Romuli* Divorum: quorum tamen prior nihilominus prædicatur Senior Fortissimus Imperator, alter Bis Consul. Certo autem errore grammaticæ pro *Optimo*, qualis perpetuo prædicabatur *Trajanus*, hic scriptum *Opitimo*. Gravius autem peccat epitome *Aversa*, in qua circum Aquilam, insistentem fulmini, pro *Consecratio* legitur CONSENCAUTIO, liquido sane testimonio, hunc Numum ex officina spuria produsse.

XV. Reliqui duo Numi, subæratam ambo, ibid. p. 402. & 3. pinguntur. Prior cum Capite, ac titulis debitis *Gordiani* Pii: in Aversa vero cum Pavone caudam explicante, & lemmate: CONSECRATIO. Cum tamen *Gordianus* nullibi scribatur consecratus, neque Pavo Virum, sed Fœminam consecratam, ex usu omnis æris veteris, designet: ut adeo hic Numus contra Scriptores veteres testari non possit. Posterior e converso in Adversa exhibet *Divam Faustinam* Seniore, & in Aversa Aquilam, cum voce: CONSECRATIO: oppositò luculento errore. Utroque igitur in Numo typaria duorum diversorum Numorum perperam sibi conjuncta fuerunt. PUBL. Ejusmodi sphalmata, dum artificii probro sunt, eumque vel negligentia, vel imperitia, nisi mali quoque doli revincunt, nihilominus Numos ipsos, quia singulares reddunt, etiam chariores efficiunt.



DIALOGUS VIII.

Numorum Restitutorum Exempla.

TULLIUS.

Memoriam celebrium Personarum, a dudum obita morte
 illarum, Numis denuo instaurare, apud Græcos pari-
 ter, ac Romanos, antiquissimi moris fuit. Initio sta-
 tim Exercitationis nostræ Procemialis *Dial. I. n. 7.* dixi
 tibi, *Alexandri M. Numismata*, certe non coæva omnia, sed ite-
 rum, iterumque Sæculis pluribus recusa, ob existimationem ejus,
 immo & superstitionis causa, in torquibus, & armillis, publice
 a quamplurimis gestata fuisse. Memineris præterea, quoties in
 Numis Familiarum feri Nepotes vel Capita, vel Imagines inte-
 gras, aut Insignia Sacerdotalia, Civilia, Militaria, sive Trium-
 phalia Majorum suorum, unacum eorundem nominibus recude-
 rint. Hoc erat Memoriam eorum cum honore restituere: sic ta-
 men, ut suæ pariter Gloriæ, & magis forte, quam Patrum suo-
 rum, hoc pacto consulere studuerint. Imperatoribus Antecesso-
 ribus hoc genus officii Successorum nonnulli exhibuerunt, pri-
 mum quidem *Claudius*, deinde *Nero*, *Titus*, *Domitianus*, *Nerva*,
Trajanus, cum primis vero *Gallienus*. Hæc prænotanda tibi duxi,
 addoque, *Argelatum* in Indice p. 606. voce *Numi* Catalogum Re-
 stitutorum a quolibet Imperatore, quantum ipsi constitit, pecu-
 liariter confecisse.

PUBL. Plani mihi jam sunt tres Numi mei ærei subsequen-
 tes, omnes cum Capite *Augusti* laureato, aut radiante in Adversa, II.
 & elogio: DIVUS AUGUSTUS PATER. In Aversa primi Aquilæ, TAB. II.
 insistit fulmini: infra: S. C. circum: IMP. T. itus VESP. *asia* N. X. XI.
Rest. ituit. Alter denuo Aquilam redhibet, super orbem XII.
 fasciatum, atque stellatum. Infra: S. C. Circum: IMP. D. o-
 mitianus CÆS. AUG. REST. Tertius Templum, quatuor co-
 lumnis

lumnis fultum, clausumque refert, imposita laurea. Pone: S. C. Infra: PROVIDEN. *tie.* Circum: IMP. NERVA CÆS. AUG. REST. *ituit.* Teneo vero hos omnes Numos æreos medios, etiam proxime a morte, sub *Tiberio* cufos, absque nota Restitutionis. TULL. Apud *Patinum* p. 40. novem omnino hujusmodi Numi *Augusti*, a laudatis tribus Imperatoribus restituti, exhibentur: quorum aliqui solum Fulmen, aut orbem cum gubernaculo, aut victoriam cum clypeo præferunt.

III.

N. XIII.

PUBL. Proximus Numus Fœminam, curru elato, ornatoque insidentem sistit, ac Leones duos præjunctos loris moderantem. Lemma: ÆTERNITAS. Infra: S. C. TULL. *Patinianus* hic Numus p. 185. *Faustinam* Senioresem velut in imagine *Cybeles* redhibet. Vox *Aeternitas* cum pro ipsa Consecratione, tum pro Memoria postuma, æque commode accipi, & intelligi potest. *Argelatus* p. 208. & sq. facile triginta hujus *Augustæ* Numos hoc cum lemmate, diversissimis autem cum imaginibus, recensuit.

IV.

TAB. II.

N. XIV.

PUBL. Qui hunc excipiunt, Numi tres ærei parvi, & mei omnes, eandem epigraphen habent, scilicet: MEMORIÆ ÆTERNÆ. Primi, qui circum caput nudum inscribitur: DIVO PIO: nimirum *Antonino*, Aversa cippo rotundo eleganti superstantem Aquilam refert. Alter *Claudii* Gothici, cujus Capiti velato circumscribitur: DIVO CLAUDIO OPTIMO: Aram ornatum, & accensam in Aversa sistit. Tertius, cum capite laureato simul, ac velato, in Adversa sic habet: DIVO MAXIMIANO SEN. *iori* FORT. *issimo* IMP. *eratori*. Quoniam porro in vita totus *Herculis* fuerat, ea devotione, ut abinde *Herculeus* dici voluerit: eidem, Divo quoque, in Aversa Leo gradens cum superposita clava consecratus fuit, tanquam in consortium *Herculis* recepto. TULL. Bene omnia.

V.

N. XVII.

PUBL. Duo, qui supersunt, Numi ærei parvi, ex mea parte exigua penu, talium sunt, quorum perire potius memoria, quam conservari, aut restitui debuisse videatur. Anterior quippe circum caput laureatum habet: IMP. MAXENTIUS P. F. AUG. In Aversa stant Juvenes duo nudi, pileati, utrique superposita Stella, *Castor* nimirum, ac *Pollux*, Romæ Tutelares: quorum quilibet equum, hastamque tenet. Circum lego: ÆTERNITAS AUG. Infra: M. *oneta* OST. *ie* P. *ercussa*. Hic

Tirannus, a Senatu publice hostis declaratus, acerrima tandem victoria superatus est a *Constantino M.* adversus eum evocato. Arbitror proinde, hunc Numum, non defuncto, minus Divo, aut Consecrato, sed viventi cūsum esse, dum adhuc Romam tirannide sua contineret. TULL. Haud male arguis, maxime, cum apud *Patinum*, & *Argelatū* scribatur: *Aeternitas Aug. N. ostri*: quod in defunctum non cadit.

PUBL. Numus postremus Capiti nudo, & juveni, hoc elogium addit: DIVO ROMULO NUBIS CONS. quod mihi obsecurum, Aversa Templum habet, cum valvis apertis, ac cupola rotunda, cujus apici Aquila insidet. Epigraphe: ÆTERNÆ MEMORIÆ. Infra: R. P. Fuit hic filius *Maxentii*, puer ante ipsum defunctus, & ab eo consecratus. TULL. Voces NUBIS CONS. olim Eruditos diu torserunt, donec, interpunctis literis, in hanc lectionem consenserint: N. ostra Urbis BIS CONS. uli: id porro non de *Roma*, ubi *Romulus* ob teneritudinem ætatis nunquam fuit, sed de *Urbe Remis* in Gallia interpretantes, quam Provinciam Pater, antequam Augustum acclamari se sineret, administraverat. Unde literas R. P. in segmento Numi legunt: R. emis P. ercussa. Atque hanc Interpretationem, pluribus argumentis fultam ostendit, probatque *Jobertus* *Retection. novar. p. m. 434.*

Nunc porro, Publi optime, bono cum Deo & hanc Partem VI. ultimamque breviter expeditimus. In Exercitatione Proœmiali Tabula I. & II. ex Numis viginti Græcis hausisti Specimina, qualiter in eis Reges, Heroes, & Sapientes, ac Urbes compareant. Tabula III. IV. V. triginta Numos, quos vocant Consulares, melius Familiarum, contuitus es, multis mysteriis implicatos. Tabula VI. tibi exhibuit Numos decem communes Urbis Romæ, Senatus, ac Populi. Tabula VII. fictis duodecim Sybillarum Numis, quoniam ita rogabas, onerata fuit, ut album a nigro discernere disceres.


Partes I. Tabulis tribus tibi quinquaginta tres Vultus Augustorum, & Augustarum commonstravit: in quibus Titulos, ac Ornamenta Capitum expendimus. Parte II. in sex Tabulis centum viginti Numorum Aversas contemplatus es, Gloriam Augustorum Politicam, Virtutibus, ac Beneficiis, domi partam reddibentes. Parte III. rursus totidem in Tabulis, ac Numis, exposui

fui tibi Gloriam Bellicam Augustorum. Parte IV. septem in Tabulis Numi Centum triginta septem tibi ostenderunt Religionem Augustorum. Parte V. in Tabulis tribus, Numisque octo & quinquaginta, intellexisti Votiva Populi Studia in Augustos. Demum hac Parte VI. duabus in Tabulis Numi triginta quinque monstrarunt tibi Consecrationem Augustorum, eorumque Memoriam postumam.

IX. Quoniam vero ad plenam Numerorum cognitionem omnino attinet notitia quoque Coloniaram Romanarum: Item, quibus peculiaribus juribus, ac privilegiis, per clementiam Imperatorum donata fuerint, ac gloriata sint Urbes Græcæ, sub jugum a Romanis missæ: de utrisque harum brevem tibi Appendicem construere proxime aggrediar, ut nihil tibi Tironi utilium, & ad Rei Numariæ Veteris Rudimenta pertinentium, subtraham. Cernes adhuc Numos novem ac triginta. Quibus tecum expensis, putem, Icones Numarias in universum quatuor ac triginta supra sexcentas, amplum satis in Theatrum Laconicæ Quiritum Sapientiæ, tuis oculis, tuique similibus, abunde suffecturas esse.

X. PUBL. Spem certe meam superasti, immo & votum. Quando enim tantum conquirendi, pingendi, exponendi laborem, vel optando injungere tibi potuissem, quantum in mea, ac eorum, qui e tuis Exercitationibus proficere cupiunt, commoda, excessu benevolentia tuæ erga Tirones, devorasti? Quod si nunc de Coloniis pariter, Urbibusque Græcis instruxeris, metelæque apud me Numariæ fila hæc ultima duxeris, nobili hoc fine coronabis opus tuum, & nomini tuo aternam in orbe memoriam dabis.







OHIA

ADRIAN

COV

WATTA

OHIA





APPENDIX
DE
NUMIS QUIBUSDAM
COLONIARUM,
ITEM
URBIUM
GRÆCARUM.

APPENDIX

BY

MADAM DE QUÉBEC

CONOMIARUM

ITEM

TRIBUM

ET ALIARUM

DIALOGUS I.

De Ampliatione Reipublicæ, ac Imperii Romani, per Colonias, Municipia, Præfecturas, atque Provincias: item de vario Jure Romano communicato.

TULLIUS.

CUm olim in Exercit. Procem. Tab. V. n. I. pinxisset tibi incertæ cujusdam Coloniae Numum, eumque Dial. XVI. n. 3. sqq. exposuisset, obiter ex me audisti, Populum Romanum, exigua pastorculorum e manu, vix ulla re adeo increvisse, quam *Coloniis, Municipiis, Præfecturis*, atque *Provinciis* postea suis. Quod ita *Cicero* falsus est Politicor. III. c. 1. „Illud vero sine ulla dubitatione maxime nostrum fundavit Imperium, quod princeps ille Creator hujus urbis *Romulus* fœdere *Sabin*o docuit, etiam hostibus recipiendis *augeri Civitatem* oportere. Qualiter id factum sit, diffuse simul, & insigni cum eruditione, magnaque cura, præter alios multos, cum primis *Lipsius*, & *Sigonius*, atque *Spanhemius*, pugnante quidem non raro sententia, tradiderunt, omnes in Thesaurο *Gronoviano* legendi. Per Epitomen, & Excerpta, hoc in argumento versantur *Acerra nova Philologica* Part. II. p. 202. & sqq. item *Sam. Pitiscus* in Lexico. Ego, quod æquum, ac necessarium visum fuerit, pro more celeri compendio constringam.

I.

Habuit Italia primo Romæ Sæculo paucas urbes, pagisque continebantur homines, rure colendo, nisi arma corripere subinde cogerentur, occupati. Unde *Quiritibus* admodum ægrum non

II.

erat, late adversum vicinos obtinere. Victos porro maxime, si ante rem conclamatam ultro se dederent, vix unquam funditus exciderunt: sed, parte eorum Romam traducta, reliquos patriis in agris relinquebant, tot incolis novis ex urbe sua illuc transmis-
sis, quot eorum, unacum veteribus, fœcunditati terræ excolen-
dæ sufficere poterant, utrisque libertate sua permissa. Ita *Colo-
niæ* natæ sunt, ac velut indies auctæ, atque Roma ex Urbe in Or-
bem excrevit.

III.

Dum autem novæ *Coloniæ* occasio sese obtulit, deliberatum fuit, an locus id mereretur? an satis Colonorum emittendorum domi, aut militiæ, præsto esset? an auspicia in hoc negotium fa-
verent? Tum ea Senatusconsulto, vel a Dictatore, aut aliis postea, qui hanc potestatem sibi per vim arrogaverant, demum per Impe-
ratores decernebatur. Ad *Coloniæ* plebeiam eligebantur e po-
pulo inutiliores, inquietiores, egentiores, additis tamen, discipli-
næ causa, nonnullis melioribus, ac præstantioribus civibus, item
opulentioribus quibusdam: ut suis facultatibus primos novæ *Co-
loniæ* sumtus communem in utilitatem conferrent. Designandæ
novæ civitati, agrisque æqualiter dividendis, tres plerumque Viri
probata famæ præmittebantur. Conscriptus jam per Curatores
populus, mox in *Coloniæ* immigraturus, iustabatur in Campo
Martio, circum eundem ductis nonnullis victimis, postea immola-
tis: ac præterea sub vexilla mittebatur, cum primis, quando mili-
tes emeriti, has in turmas electi, proficiscebantur.

IV.

Ad locum designatum ubi perventum est, is aratro circum-
ducto, cui bos albus, & vacca candida præjungebantur, suis quasi
limitibus descriptus fuit, ritu ab Urbibus condendis ad instru-
endas *Coloniæ* traducto. His porro non licuit, suis legibus vivere,
sed Roma secum ex præscripto allatis. Obligabantur censu, in
Urbem transmittendo: instante bello tenebantur militare, & alia
qualibet occasione, ne detrimenti quidpiam Respublica caperet,
omni ope cavere. Summorum apud eos Magistratum forma ead-
em, quæ Romæ, fuit, sed aliis nominibus. Qui enim in Urbe
Consules, in *Coloniis* Duumviri, & qui Senatores ibidem, in his
appellabantur Decuriones. Sæpius porro fiebat, ut *Coloniæ* anti-
quæ, aut bello, aut peste, aut alio infortunio hominibus exhaustæ,
novi homines adjungerentur, qui libenter admittebantur. Alias
vero *Coloniæ* veteri, nulla urgente causa, novi homines obtrufi
sunt,

sunt, invitis antiquis, immo & vi repugnantibus: quod M. Antonio Capuæ prope fatale fuit.

Italia porro plerumque *Municipiis* constitit, nimirum civitatibus, quibus nulli novi cives dati, sed jus civitatis Romanæ, vel merito suo, vel dono, vel etiam emtione, ac pretio collatum fuit. Vivebant suis legibus, moribus, & Sacris, neque censibus, aliisve oneribus adstrictæ. Multo igitur melior erat conditio Municipum, quam Colonorum: qui tamen postremi se primis digniores jactabant, eo, quod essent *nati* cives Romani, municipes vero cives duntaxat *assumi*. Congruit hic adducere locum Act. XXII. v. 25. sqq. ubi Apostolus, jussu Lyfiæ Tribuni jamjam flagellandus, jure civis Romani se defendit. „Et cum adstrinxissent eum, „loris (habet sacer textus) dixit adstanti sibi centurioni Paulus: *Et „hominem Romanum, & indemnatum, licet vobis flagellare?* Quo audito, centurio accessit ad Tribunum, & nunciavit ei, dicens: „Quid acturus es? hic enim homo *civis Romanus* est. Accedens autem Tribunus, dixit illi: Dic mihi, si tu *Romanus* es? At ille dixit: Etiam. Et respondit Tribunus: *Ego multa summa civilitatem hanc consecutus sum.* Et Paulus ait: *Ego autem & natus sum.* Protinus ergo discesserunt ab illo, qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit, postquam recevit, quia *civis Romanus* esset, & quia alligasset eum. „ Ecce, ut Apostolus, Tarsensis patria, jus civitatis Romanæ congenitum sibi, emto duntaxat centurionis juri promte admudum prætulit, seque sic flagris exemit.

Pariter Coloni, quoties honoris quæstio vertebatur, se municipibus anteferebant. Sed utrumque hoc nomen per sæpe, perperam tamen, promiscue usurpatum est. Gellium audi grammaticum & philologum Sæculi II. Noct. Atticar. L. XVI. c. 13. scribentem. „*Municipes, & Municipia*, verba sunt dictu facilia, & usu „obvia, & neutiquam reperias, qui hæc dicat, quin scire se plane „putet, quid dicat. Quotus enim fere nostrum est, qui, cum ex „*Colonia* populi Romani sit, non & se *Municipem* esse, & populares „suos *Municipes* esse dicat? Quod est a ratione, & veritate longe „aversum. *Municipes* sunt cives Romani ex *Municipiis*, legibus suis, „& suo jure utentes, muneris tamen cum populo Romano honorarii participes: a quo munere capeffendo appellati videntur, „nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi Romani lege adstricti: ni, inquam, populus eorum fundus factus est: (i. e. ut ob-

V.

VI.

„scura hæc verba exponuntur, nisi Municipium quodpiam contra-
 „cta gravi culpa promeruerit, ut jure suo excideret.) *Coloniae*
 „contra non veniunt extrinsecus in civitatem, nec suis radicibus
 „nituntur: sed ex civitate quasi propagatae sunt, & jura, instituta-
 „que omnia populi Romani, non sui arbitrii, habent. Quæ ta-
 „men conditio, cum sit magis obnoxia, & minus libera, potior
 „tamen, & præstabilior, propter amplitudinem, majestatemque
 „populi Romani, existimatur, cujus istæ *Coloniae* quasi effigies par-
 „væ, & simulacra quædam esse videntur. Et simul, quia obscura,
 „obliterataque sunt *Municipiorum* jura, quibus uti jam per innoti-
 „tiam non queunt.,,

VII.

PUBL. Gnaviter hic discernuntur *Coloniae* a *Municipiis*, qua-
 rum illæ superiores nomine, ista libertate potiora. TULL. His
 postremis gemina quodammodo Patria erat, fatente Tullio L. II.
 de Legg. dum de *Catone*, seque ipso diceret. „Ego mehercule illi,
 „& omnibus *Municipibus*, duas esse censeo Patrias, unam Naturæ,
 „alteram Civitatis. Ut ille *Cato*, dum esset *Tusculi* natus, in popu-
 „li Romani civitatem susceptus est. Itaque cum ortu *Tusculanus*
 „esset, civitate *Romanus*, habuit alteram Loci patriam, alteram Ju-
 „ris. Sic & nos eam patriam ducimus, ubi nati, & illam, qua
 „excepti sumus. Sed necesse est, charitate eam præstare, qua
 „Reipublicæ nomen universæ civitatis est: pro qua mori, & cui
 „nos totos dedere, & in qua nostra omnia ponere, & quasi conse-
 „crare debemus. - - Itaque ego hanc meam esse patriam
 „(*Arpinum* nempe) nunquam negabo: dum illa (h. e. Roma:) sit
 „major, & hæc in ea contineatur.,,

VIII.

Jus civitatis *Romane* quod attinet, juxta Ill. *Spanhemium* Exer-
 citat. II. ad Constitut. Antonini Imp. de civib. Rom. cap. 20. ipsa
 in urbe duplex illud erat: *Publicum*, ad quod spectabant Jus cen-
 sus, militiæ, tributorum, vectigalium, suffragiorum, honorum,
 atque Sacrorum, eratque nobilibus proprium. Alterum *privatum*,
 complectens jura libertatis, connubiorum, patriæ potestatis, legi-
 timi Dominii, nexus, Testamenti, & usucapionis: quibus & plebs,
 absque superioribus, fruebatur. *Municipia* similiter duplicia erant.
 Qui etenim *suffragio* Senatus pariter ac populi civitate donati sunt,
 proprie dicebantur *Municipes*, & utroque supra scripto Jure gaude-
 bant, summis Romæ viris æquati, cum quibus adspirare ad omnia
 munia poterant. *Sine* autem *suffragio* populi admissi, comparaban-
 tur

tur plebi duntaxat Romanæ, & communicabant soli Juri privato, *Carites* appellati, ad exemplum *Caritis* Tusciæ urbis, omnium primæ, quæ civitatem Romanam absque suffragio consecuta fuit. Marisco autem bello hæc nominum distinctio sublata est.

Jus civitatis exteris concessum, juxta eundem Ill. Virum, similiter probe distinguendum est: aliud enim fuit *Jus Coloniae*, aliud *Jus Italicum*, aliud *Jus Latii*. *Jus Coloniae* nihil contulit, nisi quod Coloni essent cives Romani, ac militare possent in legionibus, & sub his munia Centurionum, Tribunorum, aliaque capeßere: quod Sociis, & auxiliariis non licuit. Regebantur vero Magistratibus, ac legibus Romanis. Meriti, vel gratiæ peculiaris erat, si *libere* fierent, suisque legibus vivere, & Magistratus proprios eligere permetterentur. Id, quod e jure *Coloniae* non fluxit: neque etiam obtenta hæc *libertas* secum traxit *Immunitatem*. Hanc contulit *Jus Italicum*, eximens a præstatione, non tamen omni, sed *soli* duntaxat, & *capitis*, i. e. a censu, qui subinde indicebatur in quemlibet agrum, aut singula capita. *Jus Latii* demum, omnium præstantissimum, præter *civitatem Romanam*, præter *Libertatem* propriorum Sacrorum, Magistratum, ac legum, præter *Immunitatem* a censibus, insuper contulit habilitatem ad omnia etiam Summa Reipublicæ munia Romæ obtinenda. Et hoc erat vitulus pinguis *Municipi* rum, titulo solummodo digniore *Coloniis* relicto.

IX.

Præfectura conditionis fuerant longe inferioris, ita dictæ civitates, quod a *Præfectis*, Roma, vel a Senatu, vel a Populo, vel a solo Præatore urbano submissis, regerentur. Male merentibus *Coloniis*, ac *municipiis*, hæc pœna sæpe irrogabatur, ut in *Præfecturas* redigerentur. In exemplum *Livius* L. XXVI. c. 16. *Capuam* ponit, scribens de eadem, simulque pœnæ ac imoniam ita exaggerans. „Quod ad Hannibalem defecit, Senatui Romano „habitari tanquam urbem, frequenterque placuit. Corpus nul- „lum civitatis, nec Senatus, nec plebis Consilium, nec Magistra- „tus esse: sine publico Consilio, sine imperio multitudine, nul- „lius rei inter se sociam, ad consensum inhabilem fore. Præfe- „ctum ad jura reddenda quotannis Roma missuros.,, Ita *Capua* culpam suam luebat annis duobus & quinquaginta supra centum, demum a *Cesare* antiquæ libertati restituta. Pariter vero civitates, ab origine *Præfecturæ*, merito demum, vel gratia, fiebant *municipia*, sicut *Arpinum*.

X.

Præ.

XI. *Præfetti* tam Sacra, quam Politica, insuper & Leges, ac Jura, his in civitatibus ordinabant: solos Magistratus minores, ut adiles, quæstores, eligere, & ipsi probandos exhibere licuerat. Illum tamen, si æquo licentius ageret, Romæ deferre poterant, licet persæpe fructu non magno. Belli tempore impositione Legionum, & exactione Annonæ, ac stipendiorum, oppido premebantur, dumque flagrarent bella civilia, cuicumque obsequerentur, quæstionem non devitabant. Pacatis rebus in dóna perpetua liberalissimas eas esse oportuit. Nihilofecius tamen illas neque splendor, neque opulentia destituebant: unde summi Romæ Viri, Sulla, Marius, Pompejus, Cæsar, ac alii, ejusmodi Præfecturas obtinere, ac retinere, maxima æmulaque cum contentione studuerunt. Coloniarum porro, Romam imitatarum, civitates ad se attinentes, pariter Præfectis a se submissis gubernarunt. Quocirca Præfecturæ aliæ Italicæ, aliæ Provinciales existierant.

XII. Superfunt *Provinciae*, sive Regiones exteræ, armis, aut alia ratione acquisitæ, & ut agebant, *in provinciam redactæ*: quod sexto demum urbis conditæ Sæculo fieri coeperat. Agebatur id variis quidem ritibus, hoc tamen communius modo. Ad nuncium scilicet Imperatoris bellici, hanc, aut illam Regionem esse subactam, quinque, aut plures e Senatu, rite instructi, quid Romæ hac de re statutum fuerit, illuc proficiscebantur, ac jubebant, ab universis arma deponi, hancque Regionem deinceps Provinciam Romanam esse declararunt. Magistratus, qui hætenus fuerant, exauthorati: Leges, & consuetudines ordine, ab Imperatore, ac Senatoribus institutæ, promulgatæ: Proconsul, Quæstorque cum fascibus impositi: & si metus ulterior motuum nullus apparet, exercitus e provincia quamproxime decedere iussus est. Proconsuli dabatur imperium a legibus Reipublicæ sibi præscriptis administrandum, quidque ipsi præstari oporteret in pecunia, frumentis, & aliis, decernebatur. Si modum excederet, quæstionem Romæ subire cogebatur.

XIII. Regio tributa fuit in plures *Conventus*, cum peculiari cujusque judicio. Provinciarum amplissimarum etiam Partibus discernebantur, ut Macedonia prima, secunda, tertia &c. Ob inæqualitatem vero Provinciarum, aliæ sub Libera Republica dicebantur *Consulares*,

lares, quæ a Proconsule, aliæ *Prætoria*, quæ a Proprætore regebantur: quamquam eadem subinde Provincia, pro varietate sui Rectoris, nunc Consularis, nunc Prætoria vocabatur. *Ciceronis* porro verba sunt *Philipp. I. c. 8.* „ Legem (Cæsar) tulit, ne *Prætoria* plusquam annum, ne *Consulares* plusquam biennium obtinerentur, Qua lege nulla melior, utilior, & optima in Republica, sæpius flagitata. Sed eam *M. Antonius* sustulit., Alias quoque, vel merito Rectoris, vel rogatu Provincialium, eidem potestas plures in annos prorogata fuit. Quandoque & ipse, metu Republicæ injecto, eandem sibi conservavit.

Postquam *Augustus* jam rerum potitus est, arguto consilio hæc XIV.
 duo præcipue cavit: primum, ne Rempublicam penitus opprimere velle videretur: alterum, ne eidem ad recuperandam integram libertatem, nervus viresque superessent. Quare Provincias, quæ tunc plurimæ fuerant, ita divisit, ut omnino pacatas relinqueret Senatui administrandas: cæteras, quæ adhuc metum crearent, & Legionum præsidium poscerent, ipse susciperet, armis tutandas, Quo pacto militum robur ubivis locorum sua in potestate retinuit. Nec defuit sibi, quin, una Provincia pacata, eam cum altera, in qua novus motus gliscebatur, illico commutaret. Secabantur igitur Provinciæ in Augustas, & Senatorias. Quoniam vero non congruebat vox Proimperator, aut Proaugustus, quemadmodum dicebatur Proconsul, aut Proprætor: Rectores Provinciarum Augustarum appellabantur Legati.

His paucis acquiescas, velim, ut ad Numos Coloniarum Latinarum veniamus: quorum cum tu vix ullos possideas, dum tamen in Cimeliis præstantibus, & numerum, & ordinem peculiariter conficere soleant, eorum saltem vicenos, aliunde conquestos, in exemplum tibi depinxi. Quæ de urbibus, atque Colonis Græcis prænosse te oportebit, alio postea Dialogo tibi exponam. PUBL. Vel in paucis, quæ suggestisti mihi, multa sunt, scitu, notatuque dignissima, & quæ a studioso Historiæ, rei que Numariæ Romanæ, ignorari minime debeant. Numos Coloniarum, quos optaveram quidem, cum negaverit mihi fortuna, tuas tot variis, ac singularibus formis discretas imagines, tanto jucundias, avidiusque contemplanor tecum: nec parum ex ipsis erudiri confido.

DIALOGUS II.

Exempla priora Coloniarum, ac Municipiorum.

TULLIUS.

I. **N**umi Coloniarum copiose collecti, ac rite ordinati, expensive, Orbem quodammodo Geographicum conficiunt, non sine voluptate spectandum: quem vero, nisi multam post lectionem, debite instruere nequeas. Recense Numum primum. PUBL. Exhibet is vexillum, duo inter Signa militaria erectum, quibus omnibus Aquila sua imposita. Pone vexillum sunt literæ: S. R. Circum lego: CÆS. ANTI. Infra: CL. Hæreo in singulis, nisi quod e vexillo, ac Signis colligam, quamdam hic Coloniam, e militibus instructam, laudari. TULL. Non plane falleris. Numus hic æris medii apud Cl. *Frelchium* Tentam. p. 131. est *Philippi* Senioris, cum Capite ejus radiato in Adversa. Signavit eum *Antiochia* Pisidiæ, quæ regio Asiæ minoris erat in Provincia Natolia, quam Itali *Levante* appellant. Hanc literæ S. R. legendæ *Senatus Romanus*, in omnibus ejus Numis occurrentes, a multis aliis *Antiochiis* distinguunt.

II. Nomina ejus, hic descripta, fuerant: *Colonia* CÆS. area ANTI. *ochia*. Videbatur quidem *Haymio* dum in quodam *Claudii* Gothici Numo legeret Cl. ANTI. *och*. literas priores intelligi posse *Claudia*, quasi *Antiochia* hoc ab Imperatore se *Claudiam* appellasset. Quoniam vero jam in præsentis Numo, dudum ante *Claudium*, reperiuntur literæ CL. eadem nihil ad illum attinere queunt: neque etiam ad *Claudium* primum. Cum enim in aliis hujus urbis Numis legatur COL. COLON. vel integra vox COLONIA: sine dubio literæ CL. ejusdem compendium sunt. De hac *Plinius* L. V. c. 27. *Pisida*, quorum *Colonia* *Cæsarea*, eadem *Antiochia*. Item

Ulpia-

Ulpianus L. 1. Dig. tit. 15. de cens. *In Pisidia juris Italici est Colonia Antiochenfium.* Dicta videtur *Casarea* eodem in *Casarem Augustum* affectu, quo, ut refert *Suetonius* in vita, *Reges amici, atque Socii, & singuli in suo quisque Regno, Casareas urbes condiderunt.* Ex quo, teste *Entropio* in Breviario, & *moderno tempore Casarea urbes dicuntur.*

Tres hic Aquilas in Signis comparere, peregrinum est, cum III.
Legio qualibet nonnisi Aquilam unicam habuerit. Milites porro Coloniarum incolatu, stipendiis emeritis, quasi præmio fuisse affectos, nosti e Parte III. & *Hyginus* ita dixit: „Multis Legionibus contigit bellum feliciter transigere, & ad laboriosam agriculturæ requiem primo tyrocinii gradu pervenire. Nam cum Signis, & Aquilis, & primis ordinibus, ac Tribunis deducebantur., Quoniam vero Antiochia Numos varia imagine signavit, ut mox videbis, credi possit, eam ab origine plebejam, i. e. ex plebe deductam Coloniam fuisse, cui postea, jam antiquæ, milites demum adscripti sint, neque ex unica tantum Legionè, sed ex tribus diversis: id, quod Aquilæ ternæ indicare videntur.

PUBL. Genium, ut arbitrator, ejusdem Coloniae Numus infrequens exhibet, imagine Fœminæ stantis, quæ mœdiolum capite, TAB. I.
lævo brachio cornucopiæ gestans, dextra caduceum sustinet hastatum. N. II.
Pone: S. R. circum: ANTIOCHI. a COL. onia CÆS. a rea. TULL. *Frælichianum* denuo hunc Numum æris medii p. 134. iidem *Antiochenses Pisidiæ Trajano Decio* signarunt: cujus, tanquam felicitis hostium Triumphatoris, obsequio se per imaginem Genii sui muliebris, cum signis Pacis, & felicitatis, devoti sistebant. *Patinus* p. 173. exhibet Numum æris medii, *Antonino Pio* signatum, in quo circum Deum Lunum, cum Victoriola stantem scribitur: COL. CÆS. ANTIOCHMENSIS: quem vero ipse Antiochiæ Syriæ tribuit. Consimiles autem *Sept. Severi*, & *Julia* conjugis ejus Numos Cl. *Frælichius*, ob literas S. R. ubique comparentes, æque Antiochiæ Pisidiæ tribuit. Arduum est, & errori pronum, inter paris nominis urbes tuto pronuciare.

PUBL. Numus tertius verbis magis, quam imaginibus constat. Circum enim lego: MV. contractis literis, forte MU. nicipium AUGUSTA BILBILIS. TI. berio CÆSARE V. tum L. ucio TAB. I.
ÆL. io: deinde intra Sertum laureum reliqua: SEJAN. o COS. u- N. III.
libus. TULL. Recte. Vulgavit hunc Numum *Patinus* p. 53. cum capite laureato, titulisque *Tiberii* in Adversa, voce tamen *Se-*

jano non intra laurum, sed adhuc per oram Numi descripta. De *Sejano* porro jam antehac audisti, eum fortuna sua, & gratia *Tiberii*, qui sibi eundem in Consulatu etiam Collegam fecerat, absum, illo ipso anno de medio sublatum esse. Consulatus vero V. hic descriptus doctissimis Viris non parvum negotium fecit, cum in Romanis Numis nunquam compareat, & *Suetonius* non plures, quam tres Consulatus, a *Tiberio* gestos, commemoret.

- VI. Creditur ergo, Hispaniam duntaxat huic Imperatori suos Fasces detulisse, & propter dignitatem ejus Augustam adhibuisse Consulatum elogium. In aliis quippe Municipii *Bilbilis* Numis, sub *Augusto*, & *Caligula* cufis, qui patiter sunt apud *Patinum* p. 27. & 72. semper leguntur II. VIR. i. Dicitur autem hæc urbs *Aragonix* hodie *Villaveja*, in *Baubulo* monte prope *Catalalud* sita, ferro dives: quod attamen aquarum, nimirum *Salonis* fluvii beneficio, non e fodinis venit. De illa, tanquam patria sua, sic *Martialis* L. X. Epigr. 103.

Municipes *Augusta* mihi quos *Bilbilis* alto
Monte creat, rapidis quos *Salo* cingit aquis.

Alibi eam prædicat equis & armis nobilem: item sevo optimo metallo, scil. ferro. *Augusta* cognomen ab *Augusto* assumpsisse videtur. In quodam Numo *Patiniano* hinc pone *Augusti* Caput legitur *Bilbilis*: inde sub equite armato, & hæmato scribitur: *Italica*: novum agnomen, quo prædicabat, se Jure Municipiorum *Italiæ* gaudere.

- VII. PUBL. Quartus Numus Palmam arborem exhibet, pone quam: C. CIB. & inferius: D. D. quæ rursus interpretari nequeo. TULL. Hunc *Claudii* Numum iterum exhibuit *Patinus* p. 77. unacum alio, in quo intra Sertum scribitur: C. colonia CIB. yra D. creto D. ecurionum PUBL. ico. Qualiter proinde & in præsentem Numo te legere oportet. *Cybiram* ille *Lycaoniæ* oppidum dicit, *Palmis* fertile. *Plinius*, ac *Ptolomeus* illud in *Magna Syria* collocant, *Notitia* vero *Ecclesiastica* in *Caria*. *Strabo* demum oppidum hoc illis adnumerat, quorum situs incertus est. *Asiaticum* interim fuit, quo *Syria*, *Lycaonia*, *Caria* pertinent. *Decuriones* in *Coloniis* idem fuisse, quod *Romæ* Senatores, audisti *Dialogo* priori.

priori. Unde *Decreto Decurionum* idem quoque dicit, quod in Romanis Numis *Senatus consulto*.

PUBL. Quintus Numus Aram sistit, imposito Vexillo, cum VIII. epigraphe: CÆSAR AUGUSTA. M. arco PUBLICIO: CN. TAB. I. eo FADIO: in medio pone vexillum sequitur: II. VIR. is. TULL. N. V. Et hic Numus Patinianus est p. 25. tribus aliis junctus: qui omnes cum capite *Augusti* signati fuerunt. In primo Colonus jugum boum agit, communis Coloniarum typus, aliis vero Duumviris, qui loco Consulium erant, adscriptis. Alter, actertius, intra coronam, aut lauream, aut rostratam, habent solas literas C. *æsar A. ugusta*. Vexillum hic erectum illud est, sub quo primi Coloni sunt induciti: Aræ impositum comparet, quia in primo Adventu, religionis contestandæ causa, sic fieri consuevit. De Urbe hac *Plinius L. III. cap. 3.* „ *Cæsar Augusta Colonia Immunis*, amne Ibero affusa, ubi oppidum antea *salduba*, regionis Edetanæ, recipit „ Populos CLIII. „ nempe in conventum suum. Hodie appellatur *Saragossa*, estque Metropolis Arragoniæ, Archiepiscopali Sede, Tribunali præterea Inquisitionis, & Universitate præfulgens.

PUBL. Numus sextus jam iterum ænigma est mihi. Præter IX. virum enim boves agentem, inter quinque vexilla erecta, has TAB. I. quinque literas habet: COLCL. Sin porro priores legero: N. VI. COL. *onia*: posteriores me nihilominus angunt. TULL. Legendum: COL. *onia* CL. *audiopolis*: non tamen ea, quæ hodie in Transylvania est. Nam & Bythinia, & Galatia, item Paphlagonia, Armenia, Cappadocia, Isauria, Lycaonia, Urbes habuere, quibus *Claudiopoli* nomen erat. Præsentem *Claudii* numum *Patinus* p. 78. attribuit *Claudiopoli* Isauriæ: quod idem *Frælichius* facit cum alio Numo *Faustine* junioris, a se prolato, ubi est figura quædam, Fluvium representans. Nititur uterque testimonio *Amiani Marcellini*, L. XIV. c. 25. de Isauria dicentis: „ Quam mediam navigabile flumen *Calycadnus* interscindit. Et hanc quidem, præter Oppida multa, duæ civitates exornant, *Seleucia* „ opus *Seleuci* Regis, & *Claudiopolis*, quam deduxit Coloniam „ *Claudius Cæsar*. „

PUBL. Neque septimum Numum prorsus expeditus lego, X. vel intelligo. Quæ enim figura, alæ grandi cum baculo, aut TAB. I. ense forsitan, insidet? quid Serpens infra se torquens? In epi- N. VII. graphe COL. L. JUL. CORINT. me L. alterum remoratur.

TULL. Numus hic *Julii Caesaris* est apud *Patinum* p. 14. cum capite Veneris in Adversa, Gentis *Juliae* divinæ Parentis. In Adversa Bellerophon Pegaso infidet, licet signo duntaxat pro re posito, ala nimirum pro equo volucris. In alio ibidem Numo mox apposito, Bellerophon eques Chymeram tricripitem, leonino, caprino, & serpentino capite horridam, conficit: quod monstrum nostrum in Numo solus iterum serpens designat.

XI.

Hujusmodi Numis *Pullorum* nomen erat, ut *Noctuarum* Atheniensibus. Ait quippe *Julius Pollux*: „ *Pullus* est moneta Corinthiaca, ita dicta, quod Pegasum habet insculptum. „ Hunc persæpe signarunt Corinthii, ut Minervam honorarent: quæ fræno domitum Pegasum Bellerophonti tradidisse fingebatur. Utebantur tamen & variis aliis typis: quales plures apud *Patinum*, & *Frælichium*. Epigraphen sic accipias: COL. onia L. aus JUL. ia CORINT. hus. Reddebant Colonia hoc officium Conditori, Instauratori, vel Amplificatori suo, ut ejus nomen assumerent, æternæ, gratæque reminiscentiæ causa. Cum igitur, teste *Dione*, excisas, atque in ruderibus jacentes olim celeberrimas Urbes, *Carthaginem*, atque *Corinthum*, restituerit *Jul. Caesar*, Coloniae eo deductis: hæc posterior se *Laudem Juliam* scripsit, quemadmodum Urbs alia Italiae *Laus Pompeja* prædicabatur.

XII.

TAB. I.
N. VIII.

PUBL. Sat superque intelligo, quantum studii possent Numi Coloniarum. Octavus hujus Tabulae tuae figuram habet, mihi denuo ignotam. TULL. Mensa est, cujus variæ multis in Numis formæ, superposita Urna, cui publicis in Ludis Judicium calculi solebant imponi, quinam certantium palmam promeruerit, quæ ex urna hic prodit. Habebant hi Ludi varias causas, & nunc ordinarii erant, ac Diis statim tempore fiebant: jam honoribus Imperatorum consecrabantur: jam rebus prosperis eventibus, Latitiæ publicæ testimonio agebantur. Variis quoque nominibus discreti fuerant. Si simul plures una in Urbe morem obtinuerint, Numi Urnas plures, impositis totidem palmis præferunt. Præfens Numus apud *Frælichium* p. 146. in Adversa caput nudum juvenis Principis, exesis titulis, exhibens, quod *Salonini* esse putatur, creditur ΣΕΒΑΣΜΙΑ, i. e. *Augustalia* Certamina, in *Augusti* honorem instituta; designare. Epigraphæ est: COL. onia ΔΑΜΑ. scus METPO. polis.

Advertas hic, velim, literis latinis duas græcas, nimirum Δ. loco D. & P. pro R. esse immixtas. Docet enim Ill. *Spanheimius* Tom. I. p. 106. Colonias Romanas, quæ in exteris Provinciis deductæ sunt, suis in Numis jam usas esse lingua Colonia, i. e. Romana, jam lingua vernacula suæ regionis, græca nimirum, vel alia. Sæpius quoque Monetarios, dum epigraphes latinas insculperent, mente distractos, utriusque linguæ literas commiscuisse. Notat insuper, peregrinum videri posse, in eadem Urbe *Metropolis*, & *Colonia* nomina esse conjuncta: quia *Metropolis* antiquam & principem, *Colonia* vero novam Provinciæ Urbem designat. Callido autem Romanorum consilio id factum, ut adjecta Colonia suæ dignitate Metropolitanica, unius Urbis fide omnia Provinciæ oppida tanto facilius in obsequio continerent. Demum ex *Tertulliani* L. III. adversus Marcion. & ex *Dial. Justiniani* cum Tryphone ostendit, Arabiæ olim *Damascum* attributam fuisse: quam postea sub *Hadriano* Phœniciæ Mediterraneæ Metropolitanam factam esse, uti *Tyrum* Phœniciæ Maritimæ, *Norifus* e *Spartiano* collegit.

DIALOGUS III.

Ulteriora Coloniæ Exemplum.

PUBLIUS.

Numi noni typum, Lupam cum Gemellis, Originis Romanæ certam tesseram fuisse, facile capio: sed epigraphæ a te legenda. TULL. Supra scribitur: COL. onia FL. avia PAC. ensis: infra: DEVLT. on. Numus hic *Gordiani Pii* est apud *Erælichium* p. 121. Consimilem vero *Caracalla* pinxit *Patinus* p. 240. Apud utrumque autem complures alii Colonia hujus Numi diversorum Imperatorum existunt, cum imaginibus maxime variis. Thraciæ fuit hæc Urbs, de qua *Plinius* L. IV. c. II. *Develton*, cum stagno, quod nunc *Deultum* vocatur, Ve-

I.
TAB. I.
N. IX.

Veteranorum, scil. Colonia militaris. Cl. tamen *Frelchius* ex *Lupa* colligit, etiam togatos Romæ Cives illic positos fuisse. *Patinus* loco *Pacensis* legerat *Pacifica*, &, quia *Flavia* scribitur hæc Colonia, eam a *Flav. Vespasiano* deductam existimaverat, atque *Pacificam* dictam, quod hic Imperator *Pacem*, cui summæ magnificentiæ Templum struxerat, unice coluerit. Ait ulterius, bellis dirutam hanc Urbem ex longis centum annorum ruinis a *Bajazete* instauratam, atque *Zagoram* appellatam fuisse.

II.
N. X.

PUBL. Numus decimus Castrum refert, in fronte planum, retro autem rotundum, cum portis duabus, ac turribus multis. Epigraphe: COL. ONIA AUGUSTA EMERITA. Hoc demum apertum est. TULL. Non tam apertum, ut errare nullibi poteris. *Patinus* hunc Numum, *Tiberio* signatum, exhibens p. 55. in eo non qualecunque Castrum, quo urbs quælibet, aut oppidum designari posset, sed militaria castra intuetur, nixus testimonio *Dionis* L. III. dum scripsit. „ *Titus Carisus* Lanciam, quæ „ est maxima Asturiæ Urbs, desertam occupavit, multaque alia „ in suam potestatem redegit: finitoque hoc bello (puta Hispanico) *Augustus* emeritos milites exauctoravit, Urbemque eos „ in Lusitania *Augustam Emeritam* condere iussit. Iis, qui militari „ etiamnum erant ætate, Spectacula quædam per *Marcellum*, ac „ *Tiberium*, quasi Aediles, in ipsis castris exhibuit. „

III.

Hinc infert, hanc Coloniam Lusitanicam ad Anam fluvium, caput olim Emeritani conventus, quæ hodie *Merida* dicitur, sed exiguæ conditionis est, appellatum fuisse *Augustam* a Conditore suo, & *Emeritam* a Colonis inductis, militibus nimirum emeritis. Castra in hoc Numo *Tiberii* signata esse ob ludos, quos ipse in castris fecit: cum in alio hujus Coloniae Numo *Colonus* duntaxat, boves agens, cernatur. Porro apud eundem *Patinum* Familiar. p. 63. in Gente *Carista* bini Numi cum pari castro, diversæ licet formæ, ac nomine *Emerita* inscripto, comparent, addita epigraphe: P. ubl. CARISIUS LEG. atus PRO PR. atore: qui denariis istis factam a fratre *Tito* deductionem Coloniae *Emerita* celebrare voluit. Hic quoniam ad *Tiberium* non respexit, neque ab isto Ludi pro Emeritis, sed pro iis, qui adhuc militari ætate fuerant, in castris facti sint: vereor, ne hic Urbicum potius castrum, quam castra militaria, intueri oporteat.

PUBL.

PUBL. Numus decimus Romam, ni fallor, habet sedentem, galeatam, cum victoriola super orbem, & hasta. Circum lego: ICONIENSIVM COL. onia. Infra: S. enatus R. omanus. TULL. Edidit hunc æris medii Numum *Fræschius* p. 143. *Gallieno* dicatum, aitque, per eum augeri Coloniarum Romanarum numerum: cum nemo Scriptorum *Iconium*, quod erat in *Lycaonia*, Coloniam fuisse notaverit. Varii quidem hanc Urbem in *Cilicia*, in *Phrygia*, in *Pisidia* locarunt, ob viciniam harum Provinciarum. Sed Metropolim *Lycaoniae* existisse, constat ex *Notit. vet. Eccles.* Cum *Pisidia* tamen aliquo eam nexu fuisse, colligit *Vir Cl.* ex eo, quod, ut supra in *Antiochia Pisidia* vidisti, æque habeat in numo suo S. R. quo se Senatui Romano devotam ostendit. Nominis rationem ex *Michaele Glyca Annal. II.* affert: quod eam *Perseus*, Successor *Sardanapali*, devictis *Lycaonibus*, condiderit, posita illic Statua sua: qua proinde ab icone nomen Urbis *Iconium* venerit. Alii alium ei Authorem assignant. Sic multa legimus apud multos, neque tamen, quid verum sit in rebus antiquissimis, tuto intelligimus. Nihil autem legentes, omnia ignoramus.

PUBL. Tandem apud me Numum aliquem reperisti, quem pingeres, in ære medio triplici mihi oblatum, semper vero non-nihil diversum. Omnium Adversa duo capita redhibet, sibi cervicibus opposita: sed in uno dextrum, in cæteris duobus lævum est laureatum, alterum ubique nudum. Supra, infraque scribitur: IMP. erator DIVI F. ilius: quæ *Augustum* denotant. In uno autem ad latera etiam additur: P. ater P. atria. In Adversa ubique comparet *Crocodilus Palmæ arbori alligatus*, *Ægypti* tesseræ: supra vel duæ coronæ laureæ, ut hic pinxisti, vel unica. Pone arborem legitur: COL. onia NEM. ausum. TULL. Est hæc *Galliæ* braccatæ apud *Aremoricos*. Capita duo Adversa alii apud *Argelatam* censent esse *Julii Caesaris*, & *Augusti*: alii vero *Augusti*, & *M. Agrippæ*, cujus ille potissima opera apud *Actium* vicit, & *Ægyptum* subegit. Quam ei *Victoriam Nemausum* his Numis gratulatum esse arbitrantur, collaudato simul ejus principe ad-jutore.

PUBL. Ejusdem Colonæ, ut puto, est Numus insequens: ubi *Fœmina*, columnæ innixa, quasi *Dea Salus*, cum patera stat, serpentes duos assurgentes ex imo, quasi *cibatura*. Ad lævam

R

deor-

IV.
TAB. I.
N. XI.V.
TAB. I.
N. XII.VI.
TAB. I.
N. XIII.

deorsum lego : NEM. *ausum* COL. *onia*. TULL. Hic Numus est apud *Patinum* inter cæteros ad *Augustum* attinentes p. 29. cum capite imberbi galeato in Adversa: quod alii Romæ, alii Martis, alii *Nemausi* Dei opinantur: de quo nihil equidem alicubi reperi. De *Nemauso* porro, in Gallia Narbonensi Ararim inter ac *Monobium* flumina sito, & patria lingua *Nismes* dicto, sic *Strabo* L. IV. p. 129. „ Caput *Arecomicorum* est *Nemausus*, longe inferior *Narbone*, si peregrinam & negotiantium turbam consideres. Sin *Republicam* spectes, multo præstantior. Nam quatuor & viginti habet pagos popularium, præstantes viris, qui ei subsunt, & jus quoque Latii habent: ita, ut *Nemausi* invenias Romanos, qui *Aedilitatis*, & *Quæsturæ* honorem sint consecuti. Est *Romanorum* Colonia, *Augusto* imperante deducta, atque ideo *Augusta Nemausus* cognominata. „ Quæ quidem nomina fert in veteri Lapide apud *Gruterum* p. 323. n. 5. Nihil ad hanc Urbem attinet *Emmaus* *Palæstinæ*, *Judææ* *Tetrarchia*: quam hodie volunt *Nicopolim* dictam.

VII. PUBL. Proximus Numus exhibet Imperatorem, in basi oblonga consistentem, inscripto nomine: DIVUS AUG. *ustus*: cui retro stans *Fœmina* laurum imponit. Extra basin hinc, & inde, est Ara parva. Epigraphe: COL. *onia* JUL. *ia* AUG. *usta* PHILIP. *pi*: ni fallar. TULL. Rite legisti. Hic Numus est *Commodi* apud *Erælichium* p. 95. qui eum notatu digniorem esse ait, quod hunc typum, quem *Vaillantius* ab hac Colonia sub omnibus aliis Imperatoribus, extra *Commodum*, retentum fuisse asseruit, etiam sub hoc adhibitum esse commonstret: quamquam sub eodem & alio usâ sit. *Patinus* consimiles Numos habet in *Claudio* p. 77. & *Nerone* p. 130. sic tamen, ut ambæ ibi figuræ sint militares: unde suspicabatur, *Julium*, & *Augustum* in eis consistere. Nostro autem in Numo figura muliebris, *Augustum* coronans, indubie est *Genius* Colonix. Cæterum Urbs *Philippi* nomen traxisse putatur a *Philippo* *Macedoniæ* Rege: quam *Jul. Cesar* Coloniam fecit, *Augustus* *Italico* jure donavit. Quapropter se prædicavit *Juliam Augustam*. *Thraciæ* quondam tributa, deinde *Macedoniæ* adnumerata est, juxta illud *Actor.* XVI. v. 12. „ Et inde (pervenimus) *Philippos*, quæ est primæ partis *Macedoniæ* Civitas, *Colonia*. „ Multum dilexit *Apostolus* Ecclesiam ibi congregatam, ad quam etiam *Epistolam* dedit. Prope hanc Urbem

bem sunt Campi *Philippici*, ubi *Jul. Caesar* de *Pompejo*, & *Augustus* de *Bruto* & *Cassio*, prioris occisoribus, cruentas victorias retulerunt. A pretiosis hic loci olim fodinis venerunt aurei, dicti *Philippici*: cum simul iconem *Philippi* Regis, Patris *Alexandri M.* referrent.

PUBL. Numus decimus quintus Victoriam gradientem ostendit, cum palma, & lauro, ac epigraphe: MUNICI. *pium* STO. TAB. I. BEN. *se.* TULL. Hic Numus *Frælichianus* p. 107. est *Geta* Au- N. XV. gusti, uti par alius *Julie Pie* Matris ejus: quo *Stobenses* Macedoniae de *Septimii Severi* Patris victoriis gratulationem prodiderunt, simulque ipsum in Coniuge, ac nato reverebantur. Utebatur autem hæc Urbs, quam fuisse Municipium Numi eloquantur, variis aliis typis, tam ibi, quam apud *Patinum*, & alios videndis. *Plinius* L. IV. cap. 10. ait: *Oppidum Stobi Civium Romanorum.* Apud *Livium* L. XXXIII. nuncupatur *Stobos* Pelagoniæ. *Ulpianus* Dig. L. tit. 15. de censib. *Stobenses*, inquit, *Juris Italici* sunt.

PUBL. Numus decimus sextus nudam figuram virilem sistit, quæ dextrum pedem veluti basi cuidam imponit, dextraque extenta lauri ramum cum triplici fronde præfert. Epigraphe: COL. TAB. I. N. XVI. *nia* AUG. *usta* TROAS. An hic Agonothetam contuear, qui palmam offert, aut meritis est. TULL. *Maximini* Thracis hic Numus apud *Frælichium* p. 117. Apollinem exhibet juxta ipsum, quem Colonia ista frequentius, tanquam Tutelare Numen, sub templo stantem exhibuit. *Patinus* vero p. 210. *Commodi* Numum protulit, in quo Fœmina nuda æque cum lauri ramo stat, pari plane situ: quam ait a *Triflano* pro *Herophila* Sibylla habitam esse, quæ hic multum vixerit, & in propinquo municipio, cui *Smintho* nomen, in Luco Apollinis fuerit sepulta. Cæterum *Troadem* e *Troja* ruderibus excitatam ajunt ab *Alexandro*, instauratam ab *Antigono*, demum, postquam Colonia Romana evasisset, ab *Augusto* libertate donatam esse. Hinc & *Alexandreiam*, & *Antigoniam*, & *Augustam* se appellasse.

PUBL. Elegans est Numus decimus septimus: in quo Fœmina stolata, modiolum in capite, læva sceptrum gestans, dextra extenta trophæi erecti apicem contingit: retro illam, super columnam, stat victoriola, cum palma, & lauro. Ad pedes a dextris excrefcit palma arbor: ad lævam conchyle purpureum cernitur. Epigraphe: TYRIORUM. Cujus hic Numus? TULL. TAB. I. N. XVII.

Julie Aquilia Severæ Conjugis *Elagabali* apud *Frelichium* p. 112. qui *Uraniam*, sive *Venerem cælestem*, alias *Astartem*, Hebreis *Astaroth* appellatam, hic ad stare arbitratus est. Quam, toti *Africæ* incredibiliter venerabilem, *Elagabalus* Deo suo *Soli*, repudiata *Pallade* armata, Conjugem novam dedit, totaque *Italia* festos dies in ejus adventu agi præcepit, narrante *Herodiano* L. V. Verumtamen præcedit ibidem p. 108. Numus ipsius *Elagabali*: ubi non *fœmina*, sed *Hercules* cum clava sua, pari penitus modo, inter trophæum, ac columnam cum victoriola, consistit. *Tyrus* porro *Phœnicia* Metropolis gloriosa Mater erat *Coloniarum*, in totum fere orbem emissarum: neque *purpura Tyria* ulla alia præstantior fuit.

XI.

PUBL. Qui claudunt hanc Tabulam tuam, tres Numi residui, sunt unius *Colonie Viminacii*: quam & ego in quindecim Numis meis æris medii, aut parvi, diversorum Imperatorum, & Annorum subscriptorum, lego. Semper autem in omnibus iis *Fœmina* manibus expansis inter taurum, ac leonem stat, sed integris corporibus, & capitibus ad se mutuo conversis: cum tu Numo decimo octavo hæc Animalia pinxeris opposito tibi tergo, & mediis post *fœminam* corporibus occultatis. TULL. Hoc ipsum est, quod singulare penitus in hoc Numo Cl. *Frelichius* observavit, pingens eum p. 122. ex ære magno *Gordiani Pii*, putatque, primi moduli fuisse, sed eodem anno immutati, cum figuræ animalium ad se conversæ melius placuissent. PUBL. Epigraphe est: P. rovincie M. æstæ S. uerioris COL. onia VIM. inacium. Infra: AN. no I. Jam docuisti me Part. V. Dial. VII. n. 7. *Viminacium* hodie dici *Widinum*, Taurumque, ac Leonem, suis in Numis exhibuisse ob impositas ibidem Legiones, IV. & VII. *Claudiam*, quarum tessera in *Gallieni* Numis hæc animalia fuerant. TULL. Nunc addo, hanc *Coloniam* initium suum duxisse, ac numerare cœpisse ab Anno tertio *Gordiani Pii*, Urbis *Romanæ* Condita Anno 993.

XII.

PUBL. Penultimus Numus *Fœminam* stantem sistit cum vexillo militari, quod læva sustinet, cumque cervo, ut videtur, parvulo, pedibus posterioribus apprehenso, dextraque gestato. Epigraphe, ut ante, subscripto AN. no IV. TULL. Rursum *Gordiani Pii* est hic Numus ubi supra p. 125. Cervus celeberrimam in *Mœsia* ferarum istarum venationem innuere videtur. Sic enim

enim *Arrianus* de Venat. c. 23. *Cervos, ubi plani se campo explicant, apud Mysos (i. e. Moesos) & Getas, & in Scythia, ac circa Illyricum, equis Scythicis, aut Illyricis insidentes, persequuntur.* PUBL. Ultimus demum Numus rursus insolita est imagine, dum paludatum Imperatorem, cum Victoriola, & hasta exhibet, qui Taurum inter ac Leonem ipse medius adstat, anno exeso: reliqua epigraphe prior. N. XX.
 TULL. *Philippi est hic Numus p. 129. quem sistit ut Victorem Carporum, ac Daciae, quae Moesiae confinis est, Liberatorem. Caterum duo hi Numi postremi excipiunt contra celebris Vaillantii dictum: In Viminacii Colonia Numis perpetuus est Mulieris inter bovem & leonem stantis typus: ac docent, semper adhuc aliquid novi e penu Numaria posse sperari.*

Tu interim vel ab his paucissimis Exemplis animum cape, nullos, qui obtigerint, Coloniarum Numos negligendi, cunctosque rite inspiciendi: cum e singulis, ut vidisti, multa pulchra, evolutis Veterum Scriptis, eruere liceat, jamque Numi e Libris, jam hi vicissim ex illis lumen capere possunt. PUBL. Agerem id perlibenter, si, quantum se animus forsitan exporrigeret, tantum fortuna Libris, Numisque, ac bonis horis faveret. Sine quibus industriam intra vota duntaxat consistere necessarium est. XIII.

DIALOGUS IV.

Prænotiones generales de Urbibus
 Græcis.

TULLIUS.

MAxima fere contentio Eruditorum hodie fervet Græcos ad Numos vestigandos, postquam Romani jam adeo excussi videntur, ut, sive typum, sive argumentum, & historiam spectes, raro in eis novi aliquid, ac singularis, atque eximii speretur: præterquam, quod æs Romanum, nostris in terris crebrius erutum, frequentius multo, atque communius existat.

existat. Græci contra Numi, ex Oriente maxime repetendi, his, qui illuc facultatem nullam habent, parce admodum obtingunt, & forte nonnisi e proximorum Sæculorum, ubi solis quasi Romanis inhiabatur, neglectu relictæ. Insuper Pelasgi sermonis apud plurimos imperitia iis, qui eum callent, animum facit, singulari potius in argumento, in quo pauci valent, quam in vulgari, ac trito elaborandi, ac laudem quærendi.

II. Allicit quoque persæpe hujus Æris elegantia, quod Romano non suppar duntaxat, aut par, sed subinde etiam arte excellentius est. Nam Artes, ac Scientiæ, primam Sedem in Græcia fixerant, æque, ac ipsum Imperium: donec tam hoc, quam illæ, Romam ad Victricem Orbis Dominam commigraverint. Trahunt vero, & maxime, tot nova, græcis in Numis necdum excussa, aut saltem nondum trita. Reteguntur enim ibidem novæ Regionēs, Urbes, Coloniae, earum Epochæ, Sacra, Magistratus, Jura, Fœdera, Conventus, ac Societates, Dii, Tempia, Flumina, Animalia, Arbores, Plantæ, & alia sexcenta. Quæ omnia Mythologiam, Geographiam, Historiam, & Chronologiam Veterem, plurima cum voluptate reteguntur, egregie illustrant. Et esto, plurima sint in hoc ære vetustissimo, quæ nunquam hodie ex vero amplius cognoscantur, aut si forsitan propitio Apolline deprehenderis nonnulla, tuæ tamen rectæ cognitionis certus non sis: plurimis tamen sufficit, ingenium conjiciendo exercere, & hoc, illovis Scriptoris veteris loco clavis in vicem adhibito, novum saltem aliquid contra alium, colore quodam rationis opinari.

III. Olim porro Græcia, tam quæ Magna dicebatur, quam quæ Insulis adjacentibus constabat, Urbes, ac Respublicas potentes habebat: quæ deinde lapsu temporum subactæ sunt a Regibus, donec & hi, a Romanis oppressi fuerint, ac tandem ejecti. Dantur igitur Numi græci Urbium, libere adhuc dominantium, deinde jam Regiarum, demum Romæ parentium. Primi, secundique generis Numi antiquitate, raritate, ac plerumque etiam elegantia præcellunt: tertii, sub Imperatoribus cusi, omnium frequentissimi. Cernuntur in prioribus Reges, Heroes, ac Sapientes. Regiorum in Tabula I. Exercitationis nostræ Procemialis nonnulla Exempla vidisti. Qui Heroes, ac Sapientes exhibent, plerumque sunt restituti. Liberarum adhuc Urbium græcarum Numos, qui ad Cæsares non attingerent, pariter aliquos ibidem Tabula II. tibi pinxeram.

ram. Hic vero mysteria hujusmodi Numerorum paulo amplius tibi enuncianda sunt.

Cum veritatis historicae, sanæque criseos prora quodammodo & puppis esse soleant Chronologia, & Geographia, maximam Eruditis curiositatem excitant Epochæ: quas Numi, cum Latini, tum vero maxime Græci, suis literis, tanquam notis numeralibus, frequenter describunt. Supputationis Græcæ conceptam tabulam exhibui tibi *Part. I. Dial. XIII. n. II.* Negotium porro plurimum facessunt Æræ tam diversæ, quibus non modo variæ utebantur Urbes, verum etiam una sæpe eademque, dum dimissa priore, recentiore amplexa, aliter aliterque computabat. Diu quippe Seleucidarum Æra valuit, ex quo nempe *Seleucus I.* Mediam Syriæ suæ adjunxit. Alia fuit Æra Pontica. Rebus Romanorum invalescentibus, nascebantur Æræ, Pompejana, Augusta sive Actiaca, item Cæsarea. Sub Regibus aliquando notabantur Anni Regni eorum: sub Cæsaribus anni Imperii. Permultæ Urbes ab annis, quibus conditæ, aut instauratæ, aut Coloniz factæ, aut Privilegiis donatæ sunt, vel etiam Amicitiam, aut Societatem Romanorum inierant, computarunt.

Vides hinc, quam sit ardua, & supra tironem posita res, hujusmodi Ærarum recta discretio: in qua postquam doctissimi etiam Viri omne studium posuerunt, persæpe nihilominus inter eos questio pendet, & sententia cum sententia pugnat. Non igitur existimavi, ad prima Rei Numariæ Elementa, quo perpetuo spectant Exercitationes nostræ, tantam crucem attingere: cum Tironi tibi, tuique similibus, Latini Numi sat operæ præbeant. Si assurgere aliquando ad altiora subsellia poteris, Cl. *Eroelichium* adi, qui *Tentam. I. Cap. IV.* non solum suprafatas Aeras cum initio suo enarravit: verum etiam, subiecto Alphabetico Indiculo, Regionum & Urbium Epochas, certas, dubiasque, e *Vaillantio, Harduino*, ac *Norriso* collectas, nonnullasque a se primum detectas, descripsit, ac studiose inter se contulit. Nec omisit, regulas quasdam tam eruendarum, quam conciliandarum hujusmodi Ærarum subnectere, magno utique commodò illorum, qui altiore jam Classẽ conscenderunt.

Geographiæ lux plurima sunt Numi, & quidem numero prope infiniti. I. Ob Nomina tot Urbium, in iis dialecto propria, iustaque descripta: cum apud Auctores tam frequenter admodum
 varia,

varia, & vitiata legantur, aut maximo numero penitus desiderentur. II. Ob Situm ibi expressum, quo fere solo plures eodem nomine Urbes discerni possunt: ut *Antiochia ad Maeandrum* in Caria, *ad Euphratem*, vel *Taurum* in Comagene, *ad Sarum* in Cappadocia &c. III. Propter Originem, imaginibus, aut nominibus proditam. Quædam enim Urbes appellant se *Matres* respectu illarum, ad quas ipsæ colonos primos emisserunt: hæc porro se *Filias* esse produnt, dum paria cum Matribus Insignia præferunt. Colonia Romanæ, ab Augustis excitatæ, aut instauratæ, se propterea *Julias*, *Augustias*, *Elavias*, *Aelias*, *Commodianas*, prædicarunt. Aliæ suorum Auctorum Imagines, & nomina ostendunt, disertè quandoque addito *Conditrix* elogio.

VII. IV. Propter Prærogativas peculiare, quibus gaudebant, sique descriptis publice gloriabantur. Quæ etenim principes erant suæ Regionis, prætulere *Metropolis*, aut *Prime* præconium: aliæ *Secundas*, *Tertias* &c. ordine se appellabant. Aliæ *Coloniæ* nomine se jactabant: aliæ se *Liberas*, aliæ *Innumes* prædicabant. Aliæ *Communione* suam, & *Societatem* cum pluribus Urbibus expresserunt. Aliæ dixerunt se *Sacras*, & *Inviolabiles*, propter jus Asyli: aliæ *Neocoras iterum*, *terium*, ob solemniorē apud se Dei cuiusdam cultum, vel *Sacra* celebriora. Aliæ *Classicas* ob facultatem prædiciariæ Classis cum imperio tenendæ. Aliæ præconio *splendidissima*, *illustris*, *pulchra*, *magnæ* superbiebant. V. Propter Magistratus varios, tam sacros, quam profanos, in eis percensitos, ut *Pontifices*, ac *Sacerdotes*, *Præsides*, & *Curatores Ludorum*, *Theologos*, i. e. Divinorum Interpretes, *Archontes*, *Prytanes*, *Strategos*, *Grammateos*, *Sophistes*, i. e. Viros doctos, disertosque.

VIII. Mitto alia, cum ex his abunde pervideas, quantum doceant Numi Græci, majori, quam Scriptores, firmitate, licet non semper, ob sphalmata Monetiariorum, omni obscuritate exclusa. Quomodo plurima istorum dialecto græca fuerint elata, ex novendecim Exemplis Tab. I. II. intelliges, ex III. *Spartemio* tibi conquisitis: unde & singula, quæ dixi, nominetenus duntaxat hic excepta sunt, suis, ubi singula occurrent, locis amplius nonnihil exponenda. PUBL. Insigniter Græcos tu Numos mihi commendas, quos gratulor possidentibus, quamvis me inopia vetat, iisdem præsentibus deliciarum. Jucunde interea Numos a te mihi pictos intuebor. Delectat enim, videre saltem, quod habere non licet, dum justa contem-

templandi mora conceditur: & ea est Scientiarum felix conditio, ut meditatione, non possessione rerum, hauriantur, ac perficiantur.

DIALOGUS V.

Exempla Numorum, qui Urbium
Originem docent.

TULLIUS.

Priores Numi te docebunt, Conditoribus, aut Instauratoribus Urbium longo tempore honorem hunc impensum fuisse, ut ære publico signarentur. Primum recenset. PUBL. Ornatur capite fœmineo, in tabula quadrata expresso, pone quod hinc & inde deorsum scribitur: ΑΒΔΕΡΑΣ ΚΟΡΑΣ: i. e. *Abderæ Puellæ*, aut *Virginis*. Extra tabulæ latera quatuor divisim est: ΑΒΔΗΡΙΤΕ Ν: *Abderitarum*. TULL. Numum hunc pinxit *Spanhemius* 1. pag. 563. unacum altero, in quo est Caput juvene masculum, quasi radiis illustratum, ut Apollinis videri posset, ipse tamen *Abderi* esse arbitratur. Ab hoc enim *Abderam*, Thraciæ, quæ hodie Romania dicitur, Urbem conditam esse, plures cum *Strabone* tradiderunt: & ab eo Nomen saltem accepisse, ipsi *Abderitæ* in Literis ad *Hippocratem* datis ita fassi sunt. "Est autem *Aesculapius* Hercules ex fratre Nepos: a quo est *Abderus*, cujus est Urbs cognominis.," Contra *Solinus* hujus Urbis originem ad *Abderam* Virginem retulit, inquit: "Inde non procul *Abdera*, quam Soror *Diomedis* condidit, & a se vocavit.," Alii eam ab ipso *Hercule*, in *Abderi* honorem dicatam volunt, strui ex ejus voluntate cœptam a *Tisamene* Clazomenio, a Tejis perfectam. Quæ, & hujusmodi, etiam per Numos plene non dirimuntur.

Fertur porro *Abdera* sic a muribus aliquando, & ranis infestata, ut incolæ solum ad tempus vertere debuerint. Hos *Cicero* stupor mentis obnoxios tradidit, adeo, ut *Abderitica mens* in proverbium abierit. Quo alludit *Martialis*, canens:

Abderitanæ pectora mentis habes.

Nihilominus ejus Cives fuere Philosophi, *Democritus*, & *Protagoras*. Occupavit hanc Urbem *Hortensius* Prætor, quod impositam nimis ingentem exactionem præstare abnuerit, primosque Civium necavit, cæteros ut servos venum dedit. Sed hanc nimiam severitatem rescidit Senatus Romanus, Urbemque, ac Cives, Libertati antiquæ restituit. *Livius* L. XLIII. Apud *Patinum* inter Numos *Tiberii* p. 57. æreus medius existit, cum Templo, quinque columnis fulto, quas inter legitur: ABDERA. Sed cum latinam inscriptionem Urbi græcæ non convenire autumaret, hunc Numum alteri Urbi Hispaniæ Bæticæ tribuit, cui hodie *Adra* est nomen.

III. PUBL. Numus alter Equitem siffit galeatum incitato sonipede, cum hasta transversa, procumbente sub equi pedibus hoste devicto. Supra legitur: ΠΑΤΡΑΟΥ: i. e. *Patrai*, sive *Patri*. TULL. Hic Numus argenteus apud *Spanhemium* I. p. 561. in Adversa Caput habet diadematum incerti Regis, Urbemque *Patras*, Achaïæ quondam Caput, spectat: cujus alterum Conditorem, aut potius Amplificatorem refert. Nam juxta *Pausaniam* L. VII. Civitas ista primum extructa fuit ab indigena *Eumelo*, & a terræ cultu *Aroë* dicta: prolatis deinde per *Patreum* pomoeriis, nomen *Patras* in ejus memoriam accepit. Postquam vero ab *Augusto* facta est Colonia, & Achaïæ princeps, atque Sedes Romani Proconsulis constituta, ac jure Monetæ cudendæ donata, gratitudinis causa suscepit & nomen *Augustæ*. Unde latinis in numis, quorum *Patinus* complures exhibet, perpetuo scribitur: COL. onia A. roe A. ugusta PATR. ensis. Quamquam *Harduinus*, oblitterato vetusto nomine, A. primum pro neta numerali haberi velit, & legi: Colonia Prima Augustæ Patrensis. Veneti hanc Urbem, ubi S. Andreas Apostolus passus est, in quodam colle Moreæ sitam, *Patrasso* appellant.

IV. PUBL. Numus tertius, cujus utramque faciem expressisti, in Adversa Caput refert *Augusti* laureatum, cum epigraphe: ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΚΤΙΣΤΗΣ: ubi non sapio. In Aversa Martem adstare puto, cum hasta, & clypeo. Circum lego: ΚΛΑΖΟΜΕΝΙΩΝ: i. e. *Clazomeniorum*. TULL. Græcis ΚΤΙΣΤΗΣ idem est, ac Latinis *Conditor*. Cum igitur in hoc Numo, quem *Spanhemius* l. c. ex Thesauro Brandenburgico Argenteum laudat, scribatur: *Augustus Conditor*: colligi posse idem ait, hanc Urbem Joniæ longe antiquissimam, ab *Alexandro M.* jam amplius cultam, *Augustum* tanquam alterum Conditorem veneratam fuisse. Quamquam e Scriptori-

bus,

bus, qui multa prætermiserunt, id erui nequeat. Civem huic Urbi *Anaxagoram* Philosophum imputant. Caterum elogium ΚΤΙΣΤΗΣ, variis attributum, compluribus in Numis legi, Vir idem illustris ostendit.

PUBL. Numus quartus opposita sibi Capita Osiridis, cui modius impositus, & Isis, quæ Lotum gestat, præsert, cum epigraphe: ΚΟΜΟΔΙΑΝΩΝ ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΑΙΓΕΑΙΩΝ. ΕΤΟΥ. ΔΑC. i. e. *Commodianorum Hadrianorum Aegeorum. Anno CCXXXIV.* Rectene omnia? TULL. Undique. Numum hunc Æris maximi cum Capite *Commodi* signatum, pinxit *Spanhemius* l. p. 689. *Aege*, juxta *Strabonem* Ciliciæ Urbs exigua, habuit nihilominus Navale, i. e. Classem propriam, inde *Navarchis* quoque appellata. Insuper & *Neocora*, sive *Aeditua* fuit. Utrumque manifestum reddit alius ibidem Numus æreus magnus *Valeriani*. Cujus Aversæ medium tenet Caput nudum, quasi Solis, quod vero Mercurii esse dicitur. Oram numi in æqualia duodecim spatia dividunt radii quasi Solares ordine gemino: in quorum interiore ponitur epigraphe: ΑΙΓΕΩΝ ΝΕ. ΝΑ. i. e. *Aegensum Neocororum Navarchidos.* Ordo exterior duodecim Signorum Zodiaci figuras habet inscriptas.

Primum hic notandum, Nomen hujus Urbis, tam apud Scriptores, quam in Numis, nunc ΑΙΓΕΩΝ, nunc ΑΙΓΑΙΕΩΝ, nunc ΑΙΓΕΑΙΩΝ, nunc ΑΙΓΑΙΩΝ scribi, liquido testimonio, sæpe per ignorantiam, vel incuriam Scribarum, & Artificum, aut etiam propter usum literarum jam tunc promiscuum, fluctuare Orthographiam Numariam, ac eos proinde, qui uni alterive Numo tenaciter nimis inhærent, frequenter infirmius niti, quam credunt. Deinde, cum *Aegenfes* prædicaverint se *Hadrianos*, & *Commodianos*, peculiaribus gratiis utrique Imperatori adstrictos, id fecisse: quamquam non raro Monarchæ tunc imperanti, nomen ejus assumendo, amorem duntaxat, ac reverentiam, nullo beneficio accepto, testari voluisse videantur, sive vero, sive simulato affectu id fecerint. Cujusmodi de *Commodo* facile crediderim.

ΝΑΥΑΡΧΙΣ, vel *Navalis* Urbs dicitur, quæ & Classem Navium, & earum Præfecturam, liberamque ordinationem habet, sibi variis de causis injunctam: de quo iterum infra. ΝΕΩΚΟΡΟΥ, vel, ut latine vox ista exponitur, *Aeditue* Urbis elogium, quod non parum honoris asferre credebatur, illæ Civitates gerebant, quæ

V.
TAB. II.
N. IV.

VI.

VII.

Templi celebrioris, a tota Provincia frequentati, Custodiam, & Sacrorum ibi publicorum, cum primis Ludorum solemnium facultatem, curamque habuerant. Si cultum sui Dei novis, magnisque incrementis, ut reparato, vel ampliato Templo, Sacris, aut Sacerdotibus auâis instauraverint, vel etiam novi Dei cultum assumerint, ΔΙC, ΤΡΙC ΝΕ Κ. i. e. iterum, tertium Aeditue laudabantur. Aera demum nostri Numi ΔΑC. i. e. CCXXXIV. creditur denotasse Annum Urb. Cond. 941. Christi 188. Imperii Commodiani 13.

VIII.
TAB. II.
N. V.

PUBL. Qui sequitur Numus quintus, elegans certe, Amphitheatrum, seu Circum redhibet, in fronte quadratum, & pinnatum, cum porticibus multis, retro rotundum cum scamnis pluribus, copia spectantium oppletis. A dextris videtur esse templum, columnis trabeatum. In circo confidet Hercules, post quem Clava sua: ante ipsum Agonotheta consistens, ramusculum, quasi palmam Victoriæ, ostentat. Supra lego: ΗΡΑΚΛΕ ΤΑΝ: infra: ΜΑΤΡΟC ΑΠΟΙΚΟΝ ΠΟΛΙ Ν. Quid hæc innuunt? TULL. Præconium singulare, quod, cum icone hujus Numi maximi Gordiani Pii præmissa, late deducit Ill. Spanhemius l. p. 577. sqq. Epigraphen enim sic exponit: *Heracleotarum Matris Coloniæ Civitatum.* Ait postea, cum plures Urbes *Heracleæ* dictæ fuerint, præstantissimum tamen hunc Numum ad aliam nullam, quam *Heracleam Ponti*, referri debere: id, quod conficit *Strabonis* auctoritate, l. XII. hunc Numum, quasi coram inspectum, sic exponentis: „*Heraclea* Urbs est, Portu commodo, & alias etiam memorabilis: „utpote quæ etiam *Colonias* deduxerit. Ejus enim *Coloniæ* sunt „*Chersonesus*, & *Calapis*. „

IX.

Quapropter *Heraclea* non se scripsit *Metropolim*, tanquam primam ac principem suæ Provinciæ Urbem, quibus præeat solo Primatu, vel quocunque in eas convocandas, sive judiciis ordinandas jure: quales in amplis Provinciis gratiæ Principum plures constituebantur. Sed *Matrem* se prædicavit *Coloniæ Urbium*, a se genitarum, & emissarum, ac proinde vere Filiarum suarum. Quanta esset harum erga Matres obligatio, colligi possit ex adhortatione, quam, *Livii* testimonio l. XXVII. cap. 9. Consules discessuris ad *Coloniæ Romanam* inculcarunt. „Cogitarent nimirum, non „*Campanos*, neque *Tarentinos* eos esse, sed *Romanos*, inde oriundos, inde in *Colonias*, atque in agrum bello captum, *Stirpis* auggendæ causa, missos. Quæ *Liberi* Parentibus deberent, ea illos

„Roma-

„ Romanis debere, si ulla pietas, si memoria *Antique Patria* esset.,
 Hoc vinculum Græcas apud Colonias æque tenuisse, vel inde confirmatur, quod etiam Coloniae unius Urbis Matris matuo se ut Sorores respexerint. Sic namque Romæ perorabant *Rhodiiorum* Legati apud Senatum pro *Solensibus*, uti *Polybius* tradidit in Excerpt. Legat. XXV. „ Nam propter Cognationem, dicebant, sui esse officii, ut Civitati illi consulerent. *Argivorum* Colonos esse *Solenses*, sicut & *Rhodos*: unde fraternam inter ipsos Cognationem vigere ostendebant., Pauca ego tibi de plurimis, a *Spanhemio* uberri-
 ma eruditione conglomeras.

PUBL. Numi sextus, ac septimus, eodem fere typo existunt, qualem in Exercit. Procem. Tab. II. n. 7. in *Dyrrachiorum* Numo argenteo, quem incusum teneo, mihi pinxisti, & exposuisti Dial. VI. n. 3. sqq. Obtigerunt vero interea mihi, & hi duo Numi præsentēs, æque argentei. Prior eorum in Adversa vaccam habet, quæ vitulum lactat: supra est Rosa, subscripto nomine: ΘΕΟΔΑΤ. i. e. *Deodati*. Aversa tabulam refert, aut mensam, vel Aram quadratam, ignotis anaglyphis ornatam: circum latera scribitur: ΚΟΡΚΥΡΑΙ Ν: i. e. *Corcyreorum*. Posterior in Adversa, rursus super Vaccam cum Vitulo suo, scriptum habet: ΑΤΙΑΣ. In Aversa, ubi par Tabula, sed lateribus recurvis, quæ in anteriore sunt recta, supra scribitur: ΑΠΟΛ. Circum: ΞΕΝΟΦΑΝΤΟΥ. Hic adhæreo. TULL. Nomen superius est *Apolloniatarum*, quorum hic est Numus: *Xenophantes*, *Gias*, ac *Theodarus*, Nomina sunt Personarum, qui tunc Magistratum his in Urbibus gesserunt. Vacca vitulum lactans pascuorum fertilium index habetur: qui vero typus, quemadmodum Tabulæ in Aversa, in his Urbibus par, demonstrat, unam ab altera descendisse. *Corcyra* quippe Mater fuit, quæ *Dyrrachium* ut Coloniam a se sola emisit: *Apolloniam* vero simul cum *Corintho* Matre sua genuit, prisco more, ac instituto, ut Filiæ parientes Matribus velut obstetricibus uterentur, dumque illæ darent novos Colonos, hæ Ducem eorum subministrarent.

Ambos hos Numos, una cum *Dyrrachino*, etiam *Spanhemius* I. p. 571. exhibuit, ac docuit, quod jam olim ex parte tibi suggereram: Scilicet, Urbes Filias Matrum suarum linguam, Deos, & Sacra, Sacrorum ritus, festa, leges, Magistratus, vestes, habitum, & mores retinuisse, cum primis & Insignia. Primitias frugum ad

X.
 TAB. II.
 N. VI.
 & VII.

XI.

eas submisisse: pendisse annum vectigal, suppetias in bello ivisse, easque mutuo accepisse: inde arduis in quaestionibus petiisse iudicia: &, si Rectores Matrum decesserint, ad funus honorandum Legatos illico dimisisse. Hæc omnia Romani, a Græcis accepta, suarum quoque Coloniarum in usum deduxerunt: nisi gratiæ quandoque locum dantes, aut merito peculiari, hæc vincula in nonnullis laxarent. Habes nunc porro Exempla, e quibus intelligis, Urbes Græcas Originem suam persæpe suis in Numis docuisse. Quæ sequentur, Elogiorum Variorum Specimina tibi dabunt.

DIALOGUS VI.

Varia Urbium Privilegia in Numis
descripta.

PUBLIUS.

I.
TAB. II.
N. VIII.

Numus octavus Elephantem stantem refert, pone quem a dextris est Aera MB. i. e. Annus XLII. Supra, & infra lego: ΑΠΑΜΕΙΑΣ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΙΑΟΥ: i. e. *Apamea Sacra & Inviolabilis*. TULL. Urbes *Apamea* nomine plures in Asia erant: præsens Numus, qui est apud *Spanhemium* I. p. 663. laudat *Apameam* Syriæ, ad *Orontis*, & *Marisæ* confluum: quam conditam volunt a *Seleuco I. Nicator*, & in Conjugis *Apames* honorem *Apameam* dictam. Ob miram soli fertilitatem Rex iste quingentos Elephantes ibidem pasci, ac nutriri voluit: cujus rei causa Elephas hic adstat. Elogium, arque Privilegium ΙΕΡΑΣ, i. e. *Sacra*, Urbes illæ consequebantur, quæ vel pluribus Templis, vel unico cumprimis celebri, & plurium populorum concursibus celebrato, inclitæ fuerant. His fere semper Præconium pariter, & Privilegium ΑΣΙΑΟΥ, i. e. *Inviolabilis*, accessit, ut nimirum Servi, Debitorum, ac Malefici, illuc confugientes, præsidium ibidem invenirent, & ad pœnam extrahi non possent. Nam Tempa per se plerumque *Afyla* erant: quorum tamen libertatem, ob abusum
crimi-

criminosorum, *Tiberius* Imperator sustulit apud plures, apud alios certis limitibus constrinxit.

PUBL. Numus nonus Victoriam alatum ductibus valde informibus exhibet, veluti gradientem, cum serpo, & palma. II. TAB. II.
& in subjuncta tabula lego: ΕΛΕΥΘ. ΡΟΔΙΩΝ. Quomodo hæc N. IX.
enunciem? TULL. Lege: *Liberorum Rhodiorum*. Protulit hunc æris magni Numum *spanhemius* II. p. 585. & vult sub *Nerone* cufum. De vi autem, & notione vera vocis ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ late disserit Tom. I. a p. 674. contra eos, qui Libertatem plenam, ac nulla sui parte circumscriptam, per eam intelligi asseruerant. Quo pacto sumta, excluderet omnem subjectionem, & eximeret a quocunque Domino: aut, si Clientelam aliquam admitteret, supremamque protectionem, involveret attamen hæc tria beneficia indulta, simulque salva, scilicet, ut suis legibus vivere liceret, item proprios Magistratus eligere, ac demum nullis tributis teneri. Quæ tamen Privilegia cum frequenter separata fuerint, & ideo singula peculiare nomen acceperint, non possunt unico nomine juncta intelligi.

Urbes igitur, quibus liberæ fuerunt suæ Leges, & licuit Magistratum propriorum electio, cum tamen vestigialibus obligarentur, dicebantur *Αυτὸνομῆαι*, latine *Autonome*. Quæ vero Tributorum onere fuerunt exemptæ, *Ἐλευθεραὶ*, i. e. proprie *Liberæ*, aut rectius *Immunes* appellatæ sunt. Id, quod liquidum sit gemino luculento testimonio Græco uno, altero Romano. Nam apud *Xenophontem* *Histo. Græc. L.V. c. II.* Persarum Rex ita statuit: „Asia autem
„Urbes *suis legibus* utendi habeant facultatem, pristinum vero Regi
„tributum pendant. „ Contra *Polybius* Excerpt. Legat. XXXVI. de decem Legatis Romanorum, devicto Antiocho submissis, hunc in modum retulit. „Quæ Civitates, *suis legibus use*, ante bellum
„tributa Antiocho pendebant, atque in eo bello fidem Romanis
„servaverant, iis Tributa remiserunt. „ Clarius adhuc *Livius* L. XLV. c. 26. rem dixit, narrato bello Illyrico addens „decre-
„vise Romanos, non solum *Liberos*, sed etiam *Immunes* esse *Issenses*,
„ac *Talentios*, bene de Republica meritos. „

Quemadmodum autem *Immunitas* dabatur pro meritis, ita vicissim ablata fuit, vel saltem restricta, si Urbs aliqua in Romanam delinqueret. Exemplo ipsa *Rhodus* est, suæ Insulæ Caput ad mare Carpathicum, Urbs amplitudine, aliisque prærogativis cele-

celeberrima. *Tacitus* quippe de illa *Annal.* XII. c. 58. „Redditur *Rhodiis* Libertas, adempta sãpe, aut firmata, prout externis „bellis meruerant, aut domi seditione deliquerant.„ Ademptam eisdem a *Claudio* Imperatore, ob Cives Romanos in crucem actos, deprecante vero *Nerone*, ab illo iterum restitutam, ex *Dione* discere licet L. LX. Quod etiam huic Numo, *Neronis* intercessoris honoribus cuso, juxta *Spanhemium*, causam præbuit.

V.
TAB. II.
N. X.

PUBL. Numus decimus *Juvenem* exhibet, navi statione firma insistentem, qui, vestem attrahens, vultu in lævam converso, dextra extenta quasi fociis digito locum, quo sequantur, ostendit. Epigraphe ad lævam versu gemino: ΣΙΔΩΝΟΣ ΝΑΥΑΡΧΙΔΟΣ: i. e. *Sidoniorum Navarchidum*. A dextris est Æra: Λ. υαάεαυτος ΖΚΣ: h. e. Anno 227. TULL. Hunc Numum *Claudii*, cusum a *Sidone* Phœnicix Urbe Maritima, omnium suæ Regionis præstantissima, quæ *Navarchidem* se prædicat, pinxit *Spanhemius* I. p. 688. ubi sine dubio stat *Navarchus*, qui omni habitu suo imperantem exhibet. Consimilem autem Numum *Traiani* protulit *Patinus* p. 145. ajens vero, Fœminam ibi stare, quam nonnulli *Didonem* esse arbitrentur: quod mihi non videtur.

VI.

Maritimarum porro Urbium nulla forsitan fuerit, quæ proprias Naves in litore suo non haberet. *Navarchides* tamen illæ solæ audiebant, in quarum litore Classes ad Provinciæ tutelam veluti stationem fixerant, & in quam illæ imperium quoque habuerunt. Vel, quibus jussu Romano commissum erat, sinum, aut flumen tueri, ac purgare: res fiscales, aut vectigales, aliasve recipere, & custodire: item Urbibus adsitis præsidio esse, celerique auxilio venire. De *Sidone* Auctor est *Diodorus Siculus* L. XVI. eam, dum adhuc suo flore valeret, & antequam a *Persis* in ultionem defectionis funditus pessumdaretur, Centum *triremibus* instructam fuisse. Prima didicit noctu diuque navigare, habuitque amplissimum, & commodissimum, atque duobus Castellis munitum securissimum Portum, Regione sua circum, ut *Paradiso*, vernante. Hodie perexilis nominis est.

VII.
TAB. II.
N. XI.

PUBL. Undecimus Numus Capite turrato, velatoque, Genium Urbis, ut existimo, redhibet. Epigraphe gemino versu sic habet: ΣΕΒΑΣΤΗ ΙΕΡΑΣ ΑΥΤ. ΝΑΥΑΡΧΙΣ ΕΛΕΥΤΕΡΑΣ: i. e. *Sebastæ Sacra, suis Legibus, Navarchis, Libera*. TULL. Quatuor Elogiis in hoc Numo maximo *Tranquilline*, Conjugis *Gordiani Pii*,
apud

apud *Spanhemium* I. p. 691. gloriatur *Sebaste*, prius *Eleusa* dicta, alia tamen ab *Eleusi*, ubi Sacra notissima Eleusina Cereris erant. Postquam vero *Augustus Cæsar* eam *Archelao*, filio *Herodis*, in Tetrarchiæ Sedem constituisset, is eandem in honorem Cæsaris appellavit *Sebaste*, quasi *Augustam*.

PUBL. Numus duodecimus, extra Sertum laureum, nil præter verba græca circum, & in area referens, a te, obsecro, legatur. TULL. Ita is habet: Circum: $\text{CMTPNAIQN NPOTQN ACIAC}$ VIII. TAB. II. N. XII.
 L. NEOKOPQN . Intra Sertum deinde: $\text{TQN CEBAC TQN KAAAEIKAI MI FEOI}$: i. e. *Smyrneorum Primorum Asia ter Neocorum Augustalium Pulchritudine & Magnitudine*. Maximi moduli hoc numo, cujus Adversa *Caracallam* exhibet, & quem *Spanhemius* pinxit I. p. 648. *Smyrna* se jactat Primatu, non ut alia Metropoles, qualis & ipsa fuit, tanquam principem, quæ ceteras Asiæ Urbes Ordine solummodo anteiret: sed etiam Primatu Pulchritudinis, & Magnitudinis, quodque tertium facultatem acceperit *Ludorum Augustalium*, i. e. in honorem Cæsarum publice curandorum. Nam & Ludi solemnnes ad munus *Neocorum*, sive *Ædituorum* pertinuerunt.

Longe vero majori superbia hæc eadem Urbs extulit se in Marmore triplici Oxoniensi: quorum unum, ceteris paululum differentibus, ita prædicat. „Prima Asiæ Pulchritudine, & Magnitudine, & Splendidissima, & Metropolis, & ter Neocora Augustalium, secundum decreta sanctissimi Senatus & Ornamentum Joniæ, Smyrneorum Civitas., Consonant huic laudi Scriptores, a Viro Illustri adducti, cum primis *Aristides* Adrianopolitanus, & *Smyrnæ* civitate donatus, in Orat. de eadem coram Commodo Imp. habita, qua eidem Cæsaris multam gratiam, sibi vero Statuam apud Cives promeruit. Hic de *Smyrna*, ex ruinis terræ motus restituta, his paucis multa certe dixit, inquit: *Tunc etenim Urbes alias, nunc ipsa propemodum se ipsam vicit*. Eum post paulo iterum audiemus.

PUBL. Haud aliud possum, nisi perpetuo mirari tam pulchra, quæ undique suggeris mihi, nilque interloqui licet horum omnium rudi. Pergo proinde ad Numum tertiumdecimum, ubi Aquila se intra Sertum laureum librat, cum epigraphæ: $\text{MAGNETON EBAOMI THE ACIAC}$. X. TAB. II. N. XIII.
 Quid hoc iterum? TULL. Latine dixeris: *Magnetum Septima Asiæ*: ut *Spanhemius* exponit. Qui hunc Numum *Gordiani Pii* pingens I. p. 655. multus est in remonstrando,

do, qua demum ratione *Magnesia* ad *Mæandrum*, non altera, qua ad montem *Supilum*, elogio *Septimæ Asiæ* insigniri, eodemque gloriari potuerit: id, quod prima fronte peregrinum, & nullius, vel perexiguæ laudis videatur.

- XI. Fortissimum vero *Præconii* argumentum ducit ex eo, quod cum in Magna aliqua Provincia communes haberentur *Conventus*, vel *Concilia Generalia*, *Urbes* ad eam attinentes inter se, tam sedendi, quam vota edendi, constitutum ordinem haberent, immo & numerum *Votorum*: ita, quod *Strabo* L. XIV. de *Lyciæ* *Conventu* tradidit, *Primæ & Maximæ*, *Urbes* trium suffragiorum jus, *mediocres* duorum, reliquæ unius dumtaxat haberent. Unde, cum *Proconsularis Asia*, permultas *Urbes* complecteretur, quarum *Tacitus* *Annal.* XI. c. 47. sub *Tiberio* *duodecim celebres uno terra motu nocturno collapsas* asseruit, ab hoc *Imperatore* postea restitutas: *Magnesia* se ordine *Septimam* inter illas fuisse, sibi honorificum duxit. *Aquilam* quasi *tesseram* respicit *Jovis Cretagenis*, vel *Creta geniti*: quia *Magnesia Urbis Cretæ* *Colonia* existit. Alii tamen in his aliter cogitarunt: quod hic extricare non vacat.

DIALOGUS VII.

Exempla Magistratuum propriorum,
item Concordiæ, ac Societatis Urbicæ
in Numis.

P U B L I U S.

I.
TAB. II.
N. XIV.

DEcimus quartus *Numus Cybelem*, puto, refert *sedentem*, *Capite turrato*, quæ lævo cubito innititur *cymbalo suo*, *accumbente ad pedes Leone*: ante ipsam stat *Vir togatus*, eidem *Aquilam*, aut aliam *avem offerens*. *Epigraphen* ego non tento. *TULL.* *Æris hic maximi Numus est apud Spanhemium* I. p. 711. cum aliis duobus, pari mole, *imagine autem di-*

ver-

verſa, *M. Aurelio*: cuiſis: in quorum uno Vir iſte volucrem ſuam Jovi ſedenti præſentat: in altero ipſe, denuo Avem geſtans, cum duabus Nemeſibus adſtat. Verba ubique eadem ſunt: Circum: ΑΤΤΑΛΟΣ ΚΟΦ. ΤΑΙΣ ΠΑΤΡΙΣΙ: infra: CΜΥΡ. ΛΑΟ. i. e. *Attalus Sophiſta Duplici Patriæ Smyrne Laodiceæ*. Quæ antequam exponam, N. XV. ſequentem pariter Numum recensere libet, iterum *Spanhemianum* p. 712. & ſub *Septimio Severo* cuſum. Legitur in eo intra Sertum: ΠΡΩΤΑ ΚΟΙΝΑ ΑCΙΑC CΜΥΡΝΑΙΩΝ: i. e. *Prima Communia Aſiæ Smyrneorum*. Circum eſt: ΕΠΙ CΤΡΑ. ΚΑ. ΡΟΤΦΙΝΟΤ ΚΟΦΙ. Sub *Claudio Ruſino Stratego Sophiſta*.

Hic primum noveris, Viros, qui clara dicendi dote fuerant inter Græcos, ita, ut non modo uberi, ornatoque ſermone Panegyres dicere, ſed etiam gravi, ſapientique eloquio cauſas arduas coram Principibus, aut Senatu, agere poſſent, *Sophiſtas* dictos eſſe, maximoque nomine fuiſſe. Cum primis autem floruerunt ſub iis Auguſtis, qui ipſimet ſapuerant, uti ſub Trajano, Hadriano, & Antoninis. Paleſtra eorum princeps, ante omnes prope alias Urbes, fuit *Smyrna*, cujus elogia percenſens *Ariſtides* jam ſupra laudatus, Orat. de Concord. Urbium agebat: „Maximum autem „omnium, dictuque digniſſimum, ſunt *Muſarum & Gratiarum Cho-* „ri, Urbem perpetuo peragrantes.„ Et luculentius *Philoſtratus* L. I. de Vit. Sophiſtar. „Nam cum Jonia tota velut *Muſeum* ad- „miniſtrata ſit, ejus *Smyrna*, ut inter *Instrumenta Muſica* Maga- „dis (genus *Tibiæ præſtantiſſimum*) ordinem tenet perfectiſſimum.„ Exiſtimatio porro *Sophiſtarum* fecit, ut ab Urbibus vel ad ſe mutuo, vel ad Reges, vel ad Senatum Romanum, vel ad ipſos Auguſtos crearentur Legati: ut vel ſupplicarent, vel deprecarentur, vel amicitiam, ſive auxilia implorarent, & ſi quid aliud utilitatis, aut neceſſitatis publicæ fuerat, ſuada ſua procurarent. Re per ipſos ad votum peracta, Statuis, Muniis publicis, omnique grati animi conteſtatione ab Urbibus honorabantur. Conſecuti ſunt Magiſtratus domeſticos, immo nonnunquam ab Imperatoribus ipſis ad alta ſubſellia evehebantur. Nihil igitur vile de *sophiſtis* ejus ætatis cogites: quibus & hoc ornamentum frequenter acceſſit, ut variarum Urbium Cives adſciti fuerint, atque creati.

Jam præſentes Numos intelligere tibi licet. *Attalus*, primo in Numo *Sophiſta* prædicatus, filius *Polemonis* itidem *Sophiſtæ*, hunc, & alios duos pariter a me ſupra laudatos Numos, dicavit *duplici*

Patriæ, nimirum *Smyrnæ*, & *Laodiceæ*: quoniam eum utraque Urbs in Civem assumerat. Alter Numus *Prima Communia Asiæ* Spectacula, sive Ludos, omnium concursu in Deorum suorum honorem celebratos, prædicat, sub *Claudio Rufino Sophista*, & *Stratego* suo, i. e. Prætoris. Nam vox græca *Στρατῆρ*, ut *Spanhemius* plurimum Scriptorum testimonio comprobatur, vetustioribus temporibus *Populum* designabat, postea demum ad *Exercitum* indicandum traducta. Hinc *Strategus* ille intelligitur, qui vel *Civilem*, vel *Militarem* potestatem gessit. Dubio autem vacat, hanc vocem, in tot Urbium Numis repertam, non *Militarem Præfectum*, sed *Prætozem Urbanum* innuere.

V. In *Cebessensium* apud eundem Ill. Virum laudatis Numis leguntur *Varus*, item *Aurelius* quidam, uterque *Sophista*, & ambo præterea dicti *Archontes*: ac posterior quidem *ΑΡΧ. Π. Ω. Τ. Β.* i. e. *Archon Primus*, ac iterum. Erat hoc apud quasdam Urbes *Reſtorum* suorum peculiare nomen: quorum si simul plures uno Collegio extiterint, qui princeps uno anno, biennio, vel triennio fuerat, *Primus*, laudabatur, sique Primatus iste confirmatus eidem foret, iterum, tertium addebatur. Denotabatur hæc vox per *ΑΡ.* vel *ΑΡΧ.* Ubi autem scriptum *ΑΡΧΙ.* legendum est *ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ*, h. e. *Summus Pontifex*. In *Temenothurensium* Numo, ac aliis, legitur: *ΑΡΧΙΕΡ. ΑΡΧ.* & indicatur, unam, eandemque personam, & in Sacris, & in Politicis, potestatem summam habuisse.

VI. Et quoniam hic sumus, etiam Vocem *ΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣ* penitus ignorare non debes, quod erat *Scribæ* Nomen, pariter frequens in *Græcorum* plurimum Numis, & apud Romanos, ubi *Scribæ* etiam *Apparitores* vocabantur, honestum quidem, ob famulam, quam præbebant Magistratibus, operam: apud Græcos autem etiam honorificum. Huic enim hominum generi Arcana Magistratum, immo & *Rerumpublicarum*, in tabulas, decreta, vel epistolas referenda, necessario concedi debuerant. Quapropter non obvius eorum, sed peculiaris delectus fiebat, sique morum honestate, & integritate fidei, atque cognitione rerum, sui que muneris inferioris industria se commendaverint, ad gradum ampliozem sæpe non infeliciter adspirarunt.

VII. *PUBL.* Numus decimus sextus *Fœminam* galeatam exhibet sedentem, quæ ante se urnam habet super basin, cui lapillum, vel

vel calculum immittit. Epigraphe: KOINOBOTAION EAETΘEP. TAB. II.
 Infra: TAPC. Interpretem tu agas. TULL. Ita sonant hæc N. XVI.
 verba: *Commune Concilium Libere Tarfi*. Aereus magnus hic Numus, *Caracalle* signatus, est apud *Spanhemium* I. p. 679. Hujusmodi porro *Concilia communia*, cum primis in Asia, jam Romæ subdita, statis temporibus agebantur, Conventu omnium Asiæ Populorum ad singularia Tempia, præ cæteris celebria, ubi Sacra, Festa, Ludi communiter fiebant. Considerant Legati aut ipsis in Templis, aut in proximis Lucis consecratis.

Consulebatur in medium, atque suffragiis collectis, quod VIII.
 hoc in Numo Genius Tarfi cum Urna sua facit, decernebatur, non, ut olim, dum hæc Provincia plene adhuc sui juris esset, & absque nexu Romano, de pace, aut bello, de fœdere cum exteris Regibus, de communi Prætoris Asiæ, de legibus, vel editis, quæ ab omnibus Oppidis essent servanda: Sed de Asiarchis, & Sacerdotibus constituendis, qui templa, festa, ludos curarent: de Urbium inter se dissidentium concordia reparanda, vel cum alterius Provinciæ hominibus ineunda, aut instauranda: de Legationibus, ad Augustos, vel Senatam submittendis: de omnibus tandem, quæ universos tangerent, & communi duntaxat sententia essent definienda.

Quando solam Communionem Provinciæ, sine Concilio, IX.
 exprimere libuit, scribebatur: KOINON KIAIKIAS, sive KPHTON, i. e. *Commune Cilicie*, vel *Cretensium* &c. Dum Fœdus duntaxat privatum, & Societas duarum, vel aliquot Urbium indicaretur: occurrit in Numis vel per compendium OMO. vel integre OMONOIA EΦEΣIΩN ΣMYPNAIΩN: *Concordia Ephesorum Smyræorum*, vel sola nomina Urbium fœderatarum apponebantur, ut MYTILAIHNAIΩN KAI ΠEPΓAM. *Mytilencorum & Pergamenorum*: subinde conjunctione KAI etiam omiſſa.

PUBL. Adhuc, quod reor, a *Tarſo* non recedimus, quam X.
 sequentibus pariter duobus in Numis legere mihi videor, quo- TAB. II.
 rum imagines visu terribili sunt. Nam in priori duo grandes colubri se torquent, in se mutuo conversi. In altero Fœmina, N. XVII.
 superiori corpore nuda, remum gestans, cornuque inflans, & XVIII.
 conspicitur, e cujus fœmore sex capita serpentum protenduntur: supra piscis apparet. Epigraphe græca in utroque Numo fere par est, licet situ diverso. TULL. Ab umbilico fœminæ capita ca-

nina, non serpentina procedunt. Primo in Numo maximo *Alexandri Severi* tum per oram, tum serpentinos intra flexus in area hæc scribuntur: ΑΔΕΞΑΝΔΡΟΥ ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ Α. Μ. Κ. Γ. Π. quod *Spanhemius* I. p. 216. legit, ac interpretatur: *Alexandri Tarsi Metropolis præstantissimæ Maximæ Ciliciæ Decreto Prytanis*, vel *Prytanum*. Additur adhuc: ΔΗΜ. i. e. *Populus*. Hic Serpentes habet pro Geniis Urbis. *Alexandri*, aut *Alexandriæ* cognomen *Tarsum* assumisse vult meræ devotionis, aut reverentiæ contestandæ causa adversus *Alexandrum* tunc Augustum: cum sub Imperatoribus prioribus *Hadrianam*, *Severianam*, *Antoninianam*, & *Macrimianam* se compellaverit.

XI.

Alter Numus æque maximus ibid. p. 262. dicitur esse *Pu-pieni*, & *Scyllam* referre, quam veteres Poetæ, atque Comici, voracem, semivirginem canem, latrantem infima inguinum parte, appellarunt, variis fabulis in eam conceptis. Quæ tamen reipsa nil nisi rupes freti Siculi est, horrendo procellarum allisarum strepitu latratus canum simulans, & multis navibus interitum afferens. Cur *Tarsenses* eam expresserint, haud adeo liquet. Circum scribitur: ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ Α. Μ. Κ. Γ. Π. quæ legenda, ut supra, interpretatione *Spanhemii*. Verumtamen *Cl. Erælichius* plures *Tarsensum* Numos afferens, literas postremas, ac singulares ubique ponit Α. Μ. Κ. Γ. Β. non Π. & ab aliquibus legi ait *Prima sola Ciliciæ*: ipse vero simplicem, ac veterum stylo conformem sensum sequens, legit: *Tarsi Metropolis utriusque Ciliciæ Rescripto Senatus*, cum singulares literas ita compleat: Αμφότερας Κιλικίας Γραμματι Βαλλῆς. *Tentam.* p. 316.

XII.

Quia tamen Ill. *Spanhemius*, hoc loco commemoravit *Prytanes*, quorum communi vel unius peculiari decreto hos Numos cufos censebat, de his quoque verbum audias. Gerebant, cum primis apud Asiæ Civitates, Magistratum plurimæ existimationis, erantque veluti Rectores, ac princeps eorum *Primus* appellabatur. Auctoritas hujus muneris perspicue liquet ex *Thucydide* L. IV. ubi *Nicias* in fine Orationis, qua publica in Concione Athenienses ab expeditione in Siciliam dehortatus est, ita declamabat. „ Tu vero, *Prytani*, si vero hoc ad munus, officium-
„ que tuum pertinere ducis, Civitatis curam gerere, & si civis
„ bonus esse vis, pone denuo calculos, & Athenienses de his
„ iterum sententiam roga. „ Cæterum *Tarsi* memoria tandiu
su-

superstes, atque clarissima erit, quamdiu D. *Paulus* Apostolus, Civis ejus, Doctor Gentium, orbem Christianum discipulum habeat.

PUBL. Numus ultimus apertum Templum visendum red-
dit, columnis quatuor suffultum, cujus apici aries incubat: sub
eo Dea, vel Genius Urbis, in rupe residet capite forte turrato,
ante cujus pedes figura nuda, extensis brachiis, medio corpore
quasi ex aquis emergit, cum Templo pons quidam, quasi fluvio
injectus, graduum loco substratus videatur. TULL. Recte ais.
Figura enim exurgens fluvium Orontem designat, ad quem *Anti-
ochia* Syriae sita fuit, Urbs olim praestantissima, quatuor velut ex
urbibus composita, & ideo *Magna* praedicata: ubi etiam Christi
fidelibus nomen *Christianorum* primum est inditum. Ejus Epigra-
phe sic habet: ANTIOΧΕΩΝ ΜΗΤΡΩ. ΚΟΛΩ. i. e. *Antiochia Me-
tropolis Colonia*. In area supra sunt literae Graecae Δ. ὀργανῶν Ε. παρ-
χίας: i. e. *Decreto Provinciae*. Infra: S. enatus C. onfulto. Est por-
ro hic Numus aereus magnus *Hostiliani* Caesaris honoribus cufus ab
Antiochenis, pictus in *Gotha Numar.* p. 429. Cui tu prope con-
similem tenes, *Philippo* Seniori signatum, sed attritum, cum ge-
mino altero, ubi loco Templi est Caput Genii *Antiocheni* vela-
tum, ac turratum, aequae imposito ariete: cujus ratio liquido non
constat. Unam porro eandemque Urbem & *Metropolim* simul,
& *Coloniam* scribi, ut insolitum non sit, attamen infrequens est.

Definit porro cum hoc Numo Tabula ista, simulque finiunt
omnes Exercitationes nostrae: quas a capite ad calcem elementa-
res duntaxat, ideoque breves, ac faciles, & perspicuas esse vo-
lui, dedito, quo in Tirones feror, studio. Haud vacabat mihi,
veteres omnes Grammaticos, Poetas, Comicos, Geographos,
Historicos, Oratores, Philosophos, Philologos, Mythologos,
utriusque linguae in omnes horas, aut saltem longis annis excute-
re, operosa in Adversaria relatos, & inde nova lumina pro illu-
stratione Numerorum conquirere, ut plus aliis videns, inde radios
mihi, tanquam Cynthius novus, colligerem. Non invideo illis,
quibus laus ista est cordi, & facultas hoc agendi ad manus. Ego
si tenuis lampadis officium tenebris ignorantiae tuae Numerariae pra-
stiterim, laetor admodum, nec peni ullius habeo, si fuliginem
nonnulli exprobrent mihi.

Haud ego Cimelio principi sum praefectus, neque ferebat
ratio Instituti mei, Provincias, Aulasque oberrare: immo ne qui-
dem

XIII.
TAB. II.
N. XIX.


XIV.

XV.

dem Bibliotheca uberi, & amplissima uti. Quæ omnia præsidia si adfuissent, & adhibere libuisset, non Tiro instituendus, sed Orbis forsitan erudiendus erat. Charitate ductus, vel illotis magna parte manibus, audebam tamen id suscipere, ad quod infiniti prope se demittere detrectant. Largitus est bonus Deus, industriæ omni, & bonæ menti benedicens, huic operi cæpto bonum, quamvis lentum finem. Hoc dolet, Exercitationum istarum Partes priores, ad prelum postulas, inde tot mendis vitiatas prodiisse, cum ipse easdem curare nequierim. Vereor namque, plura fore his in erratis, quæ Tiro quivis tam promte sublectionem emendare non possit, neque depravata toties e sententia rite proficere. Id, quod instituto meo, animique candori, ac labori præsentem, quodque majus est, utilitati publicæ vehementer incommodat. Sed ferre necesse est, quæ tollere nequeas.

XVI.

PUBL. Tibi, Tulli Honorande, quod merito dolet, æque dolet & mihi. Prelo typographico nostra Sæcula vix quidquam præstantius habent. Sed ubi nunc *Aldi*, ubi *Plantini*, qui aureum in quodvis erratum typographicum spondeant? Quod vero prope omnes vexat, singulis lenius fit. Tu a me gratias habe immortales affectus tui candidissimi. Laboris impensi ne te pœniteat, aviditas facit lectorum. Hæc tua laus princeps te manebit, quod ordine tam commodo colligens dispersa plurima, opportunissima methodo Tironibus facillimus fueris, idemque sincerissimus. Hos inter, ac Doctos, quibus innumera quotidie conduntur volumina, eruditionem quod spectat, tantum fere discriminis interest, quantum, si nutritionem si cogites, infantes inter, atque adultos. Quorum primis non proficit, nisi lac, cibusque præmansus. Hæc qui apponere velit iisdem, hodie rarus est: nam humilia præ altis despiciuntur, & vix est calamus diligens, qui lauream ipsi sibi plantare non ambiat. Interea commode scribens tironibus, æque bene meretur, ac Matres fideles, quæ Patriæ suæ parvulos cives ab ubere nutriunt. Nisi enim ex tenere educatis infantibus Viri fortes non adolescunt: neque aliter, nisi ex candide, proque captu suo facile, perspicueque institutis tironibus, Doctores nascuntur.



INDEX PRIOR

Eorum,

Quorum hic Numi pinguntur, allegantur,
exponuntur.

Quoniam hoc Libello continentur *Pars V. & VI.* item *Appendix*, paginas vero allegare non licuit, notas ita lege:
P. V. T. I. I. P. arte V. T. abula I. numero I. Sic etiam P. arte VI. Item
A. ppendice D. I. I. ubique lege: D. ialogo I. numero marginali I.
ubi scilicet Numi exponuntur.

- A**BDERAE Urbis in Thracia Numus. — Numus: *Memoria Aeternae*. P. VI. A. T. II. 1. D. V. 1. Item alius. 2. T. II. 14. D. VIII. 4.
- AEGEORUM** Ciliciae Numus. A. T. APAMEAE Syriae Numus. A. T. II. II. 4. D. V. 5-7. cum alio. 8. D. VI. 1.
- ALEXANDRI Severi** Numus Tarsenfium. A. T. II. 17. D. VII. 10.
- ALEXANDRI** Tiranni. *In villa Romana felix Kartago*. P. V. D. VII. 14.
- ANTIOCHIAE** Pifidiae Numi. A. T. I. APOLLONIAE Urbis Numus. A. T. II. 1. 2. D. II. 1. - 4. II. 7. D. V. 10. 11.
- ANTIOCHIAE** Syriae Numus. A. T. II. 19. D. VII. 13.
- ANTONINI Pii** Numus. *Primi Decennales*. P. V. T. III. 5. D. X. 6.
- Numus cum A. N. F. F. P. V. T. III. 14. D. XI. 1. 2.
- Numi cum Rogo, ac Templo. P. VI. T. I. 15. D. VII. 2.
- Numus: *Memoria Aeternae*. P. VI. T. II. 14. D. VIII. 4.
- APAMEAE** Syriae Numus. A. T. II. 8. D. VI. 1.
- APOLLONIAE** Urbis Numus. A. T. II. 7. D. V. 10. 11.
- AQUILIAE Severae** Numus. Coloniae Tyrriorum. A. T. I. 17. D. III. 10.
- AUGUSTI** Numus. *Salus Generis humani*: quod elogium apud alios plures legitur. P. V. T. I. 4. D. II. 11. sqq.
- Cum Clypeo votivo. P. V. T. I. 15. D. VI. 1. sq. Item alius. *Ibid.*
- Numi duo, cum ejus Icone, & Statua equestri. P. V. T. I. 16. 17. D. VI. 4.
- Numi cum Capitibus Platonis, ac Ly-

I N D E X.

- Lycurgi: quibus comparatus. P. V. D. III. 1.
- Numi duo, cum Statua, & Inscriptio. P. V. T. II. 14. 15. D. IX. 1. 2.
- Numus cum Diana, & Sicil. ac expositione Harduini. lb. T. II. 16. D. IX. 3.
- Divi, ac Dei, Numi sex. P. VI. T. I. 5. 6. 7. 8. 9. 10. D. VI. 9. - 12.
- AUGUSTI Divi Numi alii. P. VI. T. I. 11. 12. 13. D. VI. 13.
- Numi eidem restituti a *Tito, Domitiano, & Nerva*. P. VI. T. II. 10. 11. 12.
- Numus Coloniae Caesaraugustae. A. T. I. V. D. H. 8.
- Coloniae Nemausi. A. T. I. 12. 13. D. III. 5. 6.
- Numus Clazomeniorum. A. T. II. 3. D. V. 4.
- AURELIANI Numus: *Deo & Domino Nato*. P. V. T. I. 10. D. IV. 8. 9.
- AURELII Marci Numi. *Vot. sol. Decennialium: Primis X. mult. XX. Tot. suscepta XX. P. V. T. III. 6. 7. 8. D. X. 7.*
- Numus: *Consecratio*. P. VI. T. II. 1. D. VII. 4.
- Numi Smyrneorum. A. T. II. 14. 15. D. VII. 1. sqq.
- BILBILIS Municipii Numus. A. T. I. 3. D. II. 5. 6.
- CAESAR AUGUSTAE Coloniae Coloniae Numus. A. T. I. 5. D. II. 8.
- CARACALLAE Numus a Smyrneis cufus. A. T. II. 12. D. VI. 8. 9.
- Numus Tarsensium. A. T. II. 16. D. VII. 7. 9.
- CARI Numus, *Deo ac Domino*. P. V. D. IV. 9.
- CIBYRAE Coloniae Numus. A. T. I. 4. D. II. 7.
- CLAUDIOPOLIS Coloniae Numus. A. T. I. 6. D. II. 9.
- CLAUDII Numus Colon. Cibyrae. A. T. I. 4. D. II. 7.
- Numus Colon. Claudiopolis. A. T. I. 6. D. II. 9.
- Numus Sidoniorum. A. T. II. 10. D. VI. 5.
- CLAUDII Gothici: *Vota Orcis*. P. V. T. III. 1. D. X. 1.
- Requies optimorum meritorum. P. VI. T. II. 9. D. VII. 12.
- Memoriarum Aeternae, P. VI. T. II. 15. D. VIII. 4.
- CLAZOMENE Urbis Joniae Numus. A. T. II. 3. D. V. 4.
- CLEOPATRAE Numi: *Regina Regum*: item: *Novae Deae*. P. V. D. II. 1. 3.
- COMMODI Numus: *Beato Augusto Roma beata*. P. V. D. VII. 1. Alius: *Sec. Imp. omnia felicia*. lb. 2. - 4. Alius Colon. Philippi. A. D. III. 7. Alius Aegeorum. lb. D. V. 5.
- CONSTANTINI M. Numus cum B. R. N. P. V. D. V. 6. - 9. Alius: *Pop. Romanus Conf. V. S.* lb. D. VII. 15. Alius: *Vot. P. R.* lb. D. X. 3. Alius *XX. XXX. Mult. fel.* lb. 9. Alius: *Felix Processus Cos.* VI. lb. D. XII. 3. Alius cum ipso ad caelum vesto. P. VI. D. VII. 13.
- CONSTANTII Numi. *Vot. XXV.* Item: *Vot. XXV. Mult. XXX.* Item: *Vot. XXXV. Mult. XXXX.* P. V. D. X. 8. - 10.
- CONSTANTII Chlovi Numus cum Rogo. P. VI. D. VII. 11.
- CORINTHI Colon. Numus. A. D. II. 10. 11.
- CRISPI Caes. Numus: *Vot. V. Mul. X.* P. V. D. X. 6.
- DAMASCI Colon. Numus. A. D. II. 12. 14.
- DEULTI Colon. Num. A. D. III. 1.
- DIOCLETIANI Numus: *Salvis Augg. felix Kartago*. P. V. D. VII. 13. 14. Alius: *Claritas Augg.* lb. D. IV. 7.
- DOMITIANI Num. graec. *Novo anno sacro*. P. V. D. XI. 3. 4.
- DVRRACHII Urbis Num. A. D. V. 10. 11.

I N D E X

- ELAGABALI** Numus: *Salus Antonini*
Aug. P. V. D. IX. 7.
EMERITAE Colon. Num. A. D. III.
 2. 3.
FAVSTINAE Sen. Numi: *Aeternitas*:
Et: Consecratio, Item cum Aquila, P.
 VI. D. VII. 3. & 15. Alius cum Cy-
 bele, D. VIII. 3.
FAVSTINAE Jun. Numus, *Sideribus*
recepta. P. VI. D. VII. 5.
GALLIENI Num. *Ob conservationem Sa-*
lutis. P. V. D. IX. 7. Alius *Iconien-*
sum A. D. III. 4.
GETAE Num. *Stobensium*. A. D. III. 8.
CORDIANI *Pii* Numus cum pavone.
 P. VI. D. VII. 15. Numi *Coloniarum*
Deulti, & *Viminacii*, A. D. III. 1.
 11, 12. Item *Heracleotarum*. D. V.
 8. 9. *Magnetum*. D. VI. 10. 11.
GRATIANI Numus cum Roma veteri
 & Nova. P. V. D. V. 9-12. Alius:
Gloria Novi Saeculi: item: *Augg. Aug.*
 Ib. D. XI. 7-14.
HADRIANI Numi cum Aegypto, Ni-
 lo, Alexandria, Africa, Mauretania,
 Hispania-Britannia P. V. D. VI.
 5-10. Alius: *Sec. Aur.* Ib. D. XI. 5. 6.
HERACLEAE Ponti Numus. A. D.
 V. 8. 9.
HIEROCAESAREAE Numus. P. VI.
 D. VII. 6. 7.
HOSILLIANI Cæs. Num. A. D. VII.
 13.
ICONII Coloniae Numus. A. D. III. 4.
ILICES Coloniae Numus. P. V. D. IX.
 4.
JULIAE *Augusti* Numus juxta quosdam:
Gentrix Orbis, P. V. D. II. 7-10.
JULIAE *Severi* Numus: *Mater Augg. Sen-*
nat. Patria Item alius: *Mater Castro-*
rum. P. V. D. IV. 2-5.
JULII *Cesaris* Divi Numi. P. VI. D. VI.
 1-8. Numus Colon. *Corinthi*. A. D.
 II. 10. 11.
LIVIAE juxta quosdam Numus sub *Ju-*
lia nomine: *Gentrix Orbis*. P. V. D.
 II. 7-10.

- MAGNESIAE** Numus. A. D. VI.
 10. 11.
MARINIANAE Numus. P. VI. D.
 VII. 9.
MAXENTII Numus: *Felix Proceff. Cos.*
Aug. P. V. D. XII. 3. seq. Alius:
Aeternitas. P. VI. D. VIII. 5.
MAXIMIANI *Herculei* Num. *Sic. XX.*
sc XXX. P. V. D. X. 9. Alius:
Memoriae Aeternae. P. VI. D. VIII. 4.
MAXIMINI *Thracis* Num. Colon.
Troadis. A. D. III. 9.
NEMAVSI Colon. Numi. A. D. III.
 5. 6.
NERONIS Numi. *Providentia novi Au-*
gusti. Item cum *Agrippina* *Mate-*
Item: Servatori orbis. P. V. D. III.
 2-7. Alius: *Advent. Cor. Aug.* D.
 XII. 1. 2. Alius: *Rhodiurum*. A.
 D. VI. 2.
NIGRINIANI Num. cum Rogo. P.
 VI. D. VII. 11.
PATRAE *Achaiae* Numus. A. D. V. 3.
PERTINACIS *Helvii* Numus *Hiero-*
caesarensium. P. VI. D. VII. 6. 7.
PESCENNI *Consecratio*. P. VI. D.
 VII. 8.
PHILIPPI Sen. Numi. *Dacia*. P. V.
 D. VII. 5-7. Coloniae *Caesareae*
Antiochiae. A. D. II. 1-3. *Vimi-*
nacii. D. III. 12.
PHILIPPI Jun. Numus: *Salus Aeterna*
Augg. P. V. D. IX. 6.
PHILIPPI Coloniae Numus. A. D.
 III. 7.
POSTUMI Numus. *Claritas Aug.* P. V.
 D. IV. 6. 7. Alius: *Salus Postumi*
Aug. D. IX. 7.
PROBI Numus: *Origini Aug.* P. V. D.
 V. 1-3. Alius: *Victoriofo semper*.
 D. VII. 9-13.
PVPIENI Numus *Tarsensium*. A. D.
 VII. 11.
RHODIORVM Numus. A. D. VI.
 2-4.
ROMVLEAE Colon. Numus. P. V.
 D. II. 7-10.

I N D E X.

- ROMVLI Numus: *Nubis Conf.* P. VI. D. VIII. 6.
- SALONINI Numi. P. VI. D. VII. 10.
 Alius Damascenorum. A. D. II. 12. 13.
- SEBASTE Urbis Numus. A. D. VI. 7.
- SEVERI Cæs. Numus. P. V. D. V. 5.
- SEXTILIAE imputatus Numus. P. V. D. IV. 2. 3.
- SICILIAE Numus. P. V. D. IX. 3.
- SIDONIS Urbis Numus. A. D. VI. 5. 6.
- SMYRNAE Numi. A. D. VI. 8. 9. D. VII. 1. fqq.
- STOBI Municipii Numus. A. D. III. 8.
- TARSENSIVM Numi. A. D. VII. 7-11.
- TIBERII Nuni: Coloniae Ilices. P. V. D. IX. 4. Municipii Bilbilis. A. D. II. 5. 6. Coloniae Emerita. D. III. 2. 3.
- TRAIANI Numi. *Consecratio* cum Phoenice. P. VI. D. VII. 1. *Consecratio*. 14. Sidoniorum. A. D. VI. 5.
- TRAIANI Decii Numi. *Dacia Pannonia*. P. V. D. VII. 8. *Vot. III. Aug. & Cæs.* D. X. 4. 5. Colon. Antiochia. A. D. II. 4.
- TRANQVILLINAE Num. Sebastenorum. A. D. VI. 7.
- TROADIS Colon. Numus. A. D. III. 9.
- TYRI Coloniae Numus. A. D. III. 10.
- VALERIANI Numus Aegaeorum. A. D. V. 5.
- VIMINACII Coloniae Provinciae Moesia Superioris Numi tres singulares. A. D. III. 11. 12.



INDEX POSTERIOR

Rerum notabilium.

A.

Abera Thraciæ Vrbs Augustum Conditorem suum laudat. Ejus facta. *Aberitana mens* i. e. stupida. A. D. V. 1. 2.
Aega Vrbs Ciliciæ. A. D. V. 5 - 7.
Aegypti imago cum Ibi. P. V. D. VI. 5.
Aera Coloniarum, & Urbium Græcarum in Numis variæ; cognitu arduæ, & supra tirones. A. D. IV. 4. 5.
Aeternitas, aut Perpetuitas, quo sensu scripta in Numis. P. V. D. V. 4. 5.
Africa imago. P. V. D. VI. 6.
Alexander M. Deus dici volens, irrisus. P. VI. D. V. 6.
Alexandriæ Aegypti. imago. P. V. D. VI. 6.
Amiantina telæ incombustibili, ex Asbesto factæ, involuta cadavera Regum comburenda. P. VI. D. IV. 6.
Anime immortalitas ferme omni tempore credita. P. VI. D. 1. 2. 3.
Annulus Equitum insigne, morientibus detractus, comburendis denuo reditus. P. VI. D. II. 5.

Antiochia Pisidiæ. A. D. II. 1 - 4. Syriæ. D. VII. 13.
M. Antonii Triumviri favores in Cleopatram. P. V. D. II. 2. 3.
Apamea Syriæ. A. D. VI. 1.
Apollonia Illyrici. A. D. V. 10. 11.
Aq. in subscriptione Numerum *Harduinus* non vult legi *Aquileiæ*, sed *Aquis*. P. V. D. V. 12.
Aquila Symbolum Consecrationis apud Augustos. P. VI. D. VII. 15.
Archontes Rectores quarundam Urbium. A. D. VII. 5.
Ajsla, vel Inviolabiles quænam Urbes. A. D. VI. 1.
Augustæ non minus, quam Augusti, votivis Populi studiis honoratæ. P. V. D. IV. 1.
Autonoma, seu Libera Vrbs quænam, & quomodo ab Immunibus discretæ. A. D. VI. 2 - 4.

B.

Bilbilis *Augusta* Municipium. A. D. II. 5. 6.
Britanniæ imago. P. V. D. VI. 8.

I N D E X.

C.

- Cæsaraugusta Colonia.** A. D. II. 8.
Caligulae Clypeus Votivus decretus. P. V. D. VI. 3.
Carthaginis imago, & fata. P. V. D. VII. 13. 14.
Cibyra Colonia. A. D. II. 7.
Claudiopolis Colonia. A. D. II. 9.
Clazomene Vrbs Joniæ. A. D. V. 4.
Cleopatrarum Aegypti Reginarum honores, & mores. P. V. D. II. 2-6.
Cientes ob devotionem suam tenebantur cum Patronis mala, & mortem ferre. P. V. D. VIII. 5.
Clypeus a Scuto differebat. P. V. D. VI. 1. 2. 3.
Coloniae Romanae quid, & quomodo ortæ, ac inductæ: item quo jure forent. A. D. I. 1. sqq. Coloni erant nati Cives Romani, municipes vero tantum assumpti. Primi dignitate, posteriores utilitate potiores. *ib.* 6.
Columbaria erant species amplorum sepulchrorum integræ alicujus Familiæ; forulis undique discreta pro Vrbis Cinerariis imponendis. P. VI. D. IV. 9.
Combustio cadaverum unde suasa, & in usum tracta. P. VI. D. III. 3. 4.
Commodus Imp. unde *Felix* dictus, an cognationis, an elogii causa. P. V. D. VII. 2-4.
Commune, i. e. Societas, aut Fœdus Vrbium. A. D. VII. 9.
Communia Provinciæ, i. e. Ludi solemnnes, omnium concursu acti. A. D. VII. 4.
Concilia Provinciæ integræ: quid in eis actum. A. D. VII. 7. 8.
Consecrationis Augustæ initia mox a *Romulo*, deinde a *Jul. Cæsare*, item *Augusto*, ubique mendacia. P. VI. D. V. 1. 2. Fiebat ea interveniente Senatusconsulto, sed non propterea pendebat a Senatu. 3-5. Irridebatur a

prudentioribus. 6. Ritus ejusdem, ac pompa maxima, omni Roma, mortua & viva, ad novi Dei honores convocata. 7. sqq. Consecratus est *Hadrianus* ab *Antonino Pio*, etiam repugnantibus cunctis. D. VII. 1.

Constantiniane Familiæ an fuerint Lineæ diversæ. P. V. D. V. 8.

Consules per sæpe brevissimi temporis erant: quandoque infantes. Processus Consularis qualis. De unico Consule Romano peregrina prorsus *Harduini* sententia. P. V. D. XII. 3. sqq.

Corinthus Colonia. P. V. D. XII. 1. 2. Item: A. D. II. 10. 11.

Creditores olim rapiebant cadavera defunctorum, donec nomina expungerentur. P. VI. D. I. 7. 12.

D.

Daciæ Provinciæ imago. P. V. D. VII. 5-8.

Damasci Colonia. A. D. II. 12-14.

Decuriones in Coloniais, quod Romæ Senatores. A. D. I. 4.

Defungentes; ac Defuncti, vide infra *Mortui Dei*, vel *Dex præconium* Augustis personis viventibus quo sensu tributum. P. V. D. II. 5.

Dente adhuc carens infans erat *minor igne Rogi*, i. e. non comburebatur. P. VI. D. III. 4.

Deulti Colonia. A. D. III. 1.

Devotio quid, nempe deditio sui, vel alterius. Devotorum variæ species. P. V. D. VIII. 5. 6.

Duumviri in Coloniais, quod Romæ Consules. A. D. I. 4.

Dyrrachium Illyrici Vrbs A. D. V. 10. 11.

E.

Eleuthera Vrbs, i. e. Immunes a censu capitis, & soli. A. D. VI. 2-4.

I N D E X.

Elogia Deorum variis Augustis tributa. P. V. D. III. 7. 8.
Emerita Colonia, A. D. III. 2. 3.

F.

Funerum honor communis Generi humano. P. VI. D. 1. 23. Sed superfluous plane vanus. D. III. 1. 2. Funerum species, acerbum, commmne, tacitum, solemne, indictivum, publicum, imaginarium. 4. 5.

G.

Geographiæ subsidia ex Numis Colonialium, & Urbium, cum primis Græcarum. A. D. IV. 6.
Grammaticus i. e. Scriba Urbis publicus. A. D. VII. 6.

H.

Heraclea Ponti Vrbs. A. D. V. 8. 9.
Hierocæsarea Lydiæ Vrbs. P. VI. D. VII. 6. 7.
Hispaniæ imago. P. 5. D. VI. 7.
Hypogæa, sive Sepulchra amplissima totius Familiæ. P. VI. D. IV. 9.

I.

Iconium Colonia. A. D. III. 4.
Ilice Colonia. P. V. D. IX. 4. 5.
Imprecationes malæ parentum, aliorumque reprehensæ. P. V. D. VIII. 5.
Judeorum census Romanis debitus. P. V. D. XI. 3. 4.
Jupiter Vrius, vel Imperator. P. V. D. III. V.
Jura quædam non scripta, scriptis certiora. P. VI. D. I. 6.
Jus Romanum in Urbe aliud publicum Nobilium, aliud privatum plebis fuit. Jus exteris concessum, aliud

Coloniarum, aliud Italicum, aliud Latii erat. A. D. I. 8. 9.

L.

Laudationes publicæ magno plerumque fūco inquinatæ. P. VI. D. III. 14.
Litteræ singulares qua cautela in Numis adhibita, ne dubium facerent, & ænigma essent. P. V. D. IX. 2.
Livia an sit Julia dicta. P. V. D. II. 7-10.

M.

Magnesiæ ad Mæandrum Septima Asiæ. A. D. VI. 10. 11.
Matres Vrbes, ac Metropoles, in quo differant. Ortæ eadem ex Matre colebant se mutuo cognationis causa. Erant Matribus vario & multiplici modo devotæ. A. D. V. 8-11.
Mauretaniæ imago. P. V. D. VI. 7.
Memoria Summorum Virorum omni tempore Numis restituta fuit. Sic & Imperatorum. P. VI. D. VIII. 1.
Monumenta, & Cœnotaphia erant supra terram, Sepulchra infra eam. P. VI. D. IV. 7.
Morientes quid prævie facerent: & mox defunctis quid fieret. P. VI. D. II. per totum. Pro mortuis habitorem reviviscentium exempla. *Ib.* 11. 12.
Mortuorum cum honore Sepultura communis Generi humano, ex fide Resurrectionis, aut saltem immortalitatis Animarum. Item ob Naturæ humanæ dignitatē, ac mutuam compassionem. Insepultum remanere debuisset, maximæ infelicitatis, & ignominia habebatur: hujus causæ superstiosæ, ac veræ. P. VI. D. I: 1. sqq. Quinam insepulti apud Romanos relinquerentur. *Ib.* 9. sqq. Ambitio in pompa sepeliendi. *Ib.* 13.
Mortuorum Funera diversa, & Ritus referen-

I N D E X.

- ferendi varius, P. VI. D. III. per totum.
- Mortuos* comburendi Ritus, & Rogi ornatus. Item sepulchra, Monumenta, Hypogea, Columbaria, Olla, Vrnæ &c. P. VI. D. IV. per totum. Consecrationis Augustæ ritus, ac pompa splendidissima. D. V. per totum.
- Municipia* quid essent, & quibus iuribus. Eis duplex Patria, Naturæ, ac Civitatis. Aliæ cum, aliæ sine suffragio Populi Romani erant instituta. A. D. I. 6-8.
- N.**
- Natalis* Imp. duplex agebatur solemniter, Vitæ nimirum, ac Purpuræ. P. V. D. VIII. 13.
- Navarchides*, aut Navales Vrbes quænam dictæ. A. D. V. 7. VI. 6.
- Nemausus* Colonia. A. D. III. 5. 6.
- Neocoræ* Vrbes quænam. A. D. V. 7.
- Nili* imago P. V. D. VI. 6.
- Nenia* insulsæ ad funera cantilenæ. P. VI. D. III. 8.
- Numorum* singulares Literæ sic adhibitæ, ne dubium facerent, aut ænigma essent. P. V. D. IX. 2. Nomi Restituti omni ævo soliti. P. VI. D. VIII. 1.
- Nomi* Coloniarum, & Urbium redhibent quasi Orbem Geographicum. A. D. II. 1. Latino, græco, aut mixto caractere inscripti. *ib.* 12.
- Nomi* Græci hodie fere præ Romanis curantur: quibus de causis, A. D. IV. 1. 2. Alii eorum sunt Urbium adhuc Liberarum, alii sub Regibus, alii sub Imperatoribus cusi. *ib.* 3.
- Numorum* Orthographia inconstans tutam regulam non præbet. A. D. V. 6.
- bata ratione; secus damnabatur. P. VI. D. I. 10. II. 8.
- Oculi* morientibus clausi, comburendis aperti. P. VI. D. II. 6.
- Olla*, ac Vrnæ cinerariæ. P. VI. D. IV. 9.
- Orbis* persæpe pro Imperio Romano scriptus: uti & Genus humanum pro populis Romæ subjectis, P. V. D. II. 12.
- P.**
- Pannoniarum* imago. P. V. D. VII. 8.
- Parens*, ac Pater Patriæ differunt juxta Harduinum. P. VI. D. VI. 8.
- Pætras Achaia* Vrbs. A. D. V. 3.
- S. Paulus* jure Civitatis Romana defendit se a flagellis. A. D. I. 5.
- Pavo* Consecrationis tessera apud Augustas. P. VI. D. VII. 15.
- Philippi* Colonia. A. D. III. 7.
- Politica* subsidia ex Numis Urbium Græcarum, ob additas prærogativas varias, & Magistratos diversos laudatos. A. D. IV. 7.
- Prefectura* Romana quid, cujusque conditionis. A. D. I. 10. 11.
- Praefica* mulieres composita fallacia in funebribus plangentes. P. VI. D. III. 8.
- Provincia* Romana i. e. Regiones extera subactæ quomodo in provinciam redigerentur, ac regerentur sub Libera Republica, & sub Augustis. A. D. I. 12-14.
- Prytanes* Rectores populi apud Græcas quasdam Vrbes. A. D. VII. 12.

R.

- O.**
- Oscisco* sui licuit, reddita Senatui, & pro-
- Repetitio* argumentorum in his omnibus Partibus harum Exercitationum tractatorum, & calculus 634. Numerum hic pictorum. P. VI. D. VIII. 7-9.

I N D E X.


- Rhodus* Colonia. A. D. VI. 2-4.
Rogi descriptio, pompa, & luxuria. P. VI. D. IV. 2. sqq. D. V. 11.
Roma usque ad Imperii amplitudinem aucti Coloniarum, Municipiorum, Praefecturarum, atque Provinciarum. A. D. I. sqq.
Roma gemina, Vetus, & Nova, seu Constantinopolis. P. V. D. V. 10. 11.
Romulea Colonia, P. V. D. II. 7-10.
- S.
- Sacræ* Urbes quænam. A. D. VI. 1.
Seculum olim varia mensura temporis definitum. P. V. D. XI. 5. 12. 13.
Scriptores Veteres absque notitia consuetudinum ævi sui nequeunt intelligi. P. V. D. VIII. 7.
Scutum a Clypeo distinctum. P. V. D. VI. 1-3.
Scylla rupes freti Siculi periculosissima, fabulis conspersa. A. D. VII. 10. 11.
Sebastæ Vrbs. A. D. VI. 7.
Sejani fortuna, & casus. P. V. D. IX. 5.
Sepulchra erant subterranea, ubi & Hypogæa, Columbaria, Ollæ, ac Urnæ cinerariæ, totius quandoque Familiæ. P. VI. D. IV. 8. 9. Dicebantur Aræ, manibus consecratæ, erantque sæpe in Viis publicis. ib. 10. 11.
Sidon Vrbs. A. D. VI. 5. 6.
Smyrna celeberrima, A. D. VI. 8. 9. VII. 1. sqq.
Sophistæ Viri graves, & eloquentes, Legati Urbium, & honorati. A. D. VII. 1-3.
Stobi Municipium. A. D. III. 8.
Strategus Prætor Vrbs. A. D. VII. 4.
- T.
- Tarsus* Metropolis. A. D. VII. 7-11.
Tironum instructio simplex ejusdem est meriti, ac nutritio simplex infantum. A. D. VII. 16.
- Troas* Colonia. A. D. III. 9.
Tyrus Colonia, A. D. III. 10.
- V.
- Veritatis* argumentum est, aliquid omnibus videri. P. VI. D. I. 3.
Vestes Virorum in funeribus pullæ, Mulierum albæ. Cur hoc postremum? P. VI. D. III. 9.
Viminacium Colonia. A. D. III. 11. 12.
Vocis primam notionem illico arripere, nec aliam cogitare, facit Lectorem a vero sensu sæpe aberrare. P. V. D. I. 1.
 de *Vocibus* nimis anxie quærere, parit litem æternam. P. V. D. VII. 13.
Volumnus, & *Volumnia* Dea, sive bona mens. P. V. D. III. 5.
Vota edere Deo, omnium hominum, ac temporum fuit, & ad Actus Religionis attinuit, ea fideliter reddere. P. V. D. VIII. 1. Votorum apud Romanos variæ species. 2. Suscipiebantur, nuncupabantur, inscribebantur, figebantur, ac demum solvebantur. 3. Locus, ritusque Votorum: item Res votivæ. 3. Devotio quid, ac Devotorum variæ species. 5. 6.
Vota publica. variis de causis edita, P. V. D. X. 2.
Vota Quinquennalia, Decennalia &c. quid, unde, quomodo nuncupata, & soluta sint? P. V. D. VIII. 8-10. Causa eorum, quia salus Principis credebatur esse salus Populi. Quid in eis voveretur. 11. 12. Agebantur in Natalibus tam Vitæ, quam Purpuræ. 13. Permissa quoque a Christianis Augustis: & etiam acta pro malis Principibus. 14.
Urbium ordo inter se in magnis Provinciis notatus, & inde aliquando honor quæsitus. A. D. VI. 10. 11.

F I N I S.









125

35 Kpf.

